BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVIII
B
17
NAPOLI

D. JULII FRID. MALBLANC

JURIS PROFESSORIS ORDINARII

ALTORFINI

DOCTRINA

DE

JUREJURANDO,

E

GENUINIS LEGUM NATURALIUM, CIVILIUM, CANONICARUM ET DIVERSARUM GENTIUM ANTIQUITATIS FONTIBUS ILLUSTRATA.

Editio altera, aliena manu caſtigatior.

TOMUS SECUNDUS.

B. R. NEAPOL

EBRODUNI IN HELVETIA.

M. DCC. LXXXV.

Digitized by Google

DOCTRINA
DE
JUREJURANDO.

LIBER III.

CAPUT V.

De origine ac uſu hodierno jurisjurandi ſuppletorii.

§. LXIX.

Opinio præcipuorum ICtorum de origine hujus jurisjurandi.

Argumenta, ut equidem puto, ſatis gravia ſunt, quibus docui, veram jurisjurandi, ad ſupplendas probationes inventi, originem unice ex mutata judiciorum forma derivandam eſſe, ideoque illius uſum ſub Imperatoribus, & quidem jam Hadriani ævo

Digitized by Google

& paulo antea cognitum fuiſſe. Miror itaque, ICtos maximi nominis hac in doctrina adeo fluctuaſſe, ut nihil certi hucuſque de ea tradere & aſſerere fere auſi fuerint. Mitto eorum ſententias, qui hiſtoricam juris ſcientiam leviter ſolum deguſtantes, iis, quæ Praxi quotidiana obtinere & Pragmaticorum deciſionibus ſatis obfirmata putant, unice contenti vivunt. Sed ad eos me converto, qui elegantiori juris ſtudio inclaruerunt. Jam vero hi omnes unanimi fere ore, jusjurandum ſuppletorium Romanis ſaltem ante Imperatoris Juſtiniani tempora incognitum fuiſſe aſſerunt (1). Quæ enim illis præcipue impedimento ſunt clara legum argumenta, nempe L. 31. D. *de jurejur.* ubi Caii verba occurrunt: *ſolent enim ſæpe judices in dubiis cauſis exacto jurejurando ſecundum eum judicare, qui juraverit* &c. atque Conſtitutio Impp. Diocletiani & Maximiani L. 3. C. de R. C. *in bonæ fidei contractibus, nec non etiam in cæteris cauſis, inopia probationum, per judicem*

---

(1) Duarenus *Anniv. Diſp. L. II. c.* 33. Donellus *Comment. jur. civ.* L. XXIV. c. 11. Ant. Faber *Conj. L. XIX.* c. 1. Idem *de Erroribus Pragmat. dec.* 19. *err.* 1. *ſq.* ubi jurisjurandi neceſſarii originem ſolum Juſtiniano tribuit, ſine ſufficienti autem ratione putans, illud ſemper reo delatum eſſe, unde illud vocat Juſtinianeum. Gerh. Noodt *Comment. ad D. L. XII.* p. 287. T. II. op. & qui eundem totum expilavit Jo. Gott. Heineccius *de lubricitate jurisjurandi ſuppletorii* §. 8. *ſq. in opuſc. var. ſyl. exercit. XVI.*

Jurejurando cauſa cognita res decidi oportet, illis I. ſenſum mire contortum adſingunt, atque in eo ſolum caſu rariſſimo jusjurandum a judice delatum eſſe putant, ſi tantus ex utraque parte extiterit probationum apparatus, ut eo judicis animus turbatus & in utramque partem diſtractus fuerit, adeoque judex ignoraverit, utrum actori magis an reo fidem debeat habere. Eam vero ſententiam ut etiam argumentis munirent, anxie laborarunt. Imprimis hic in ſcenam prodiit Gerhardus Noodtius, qui in illuſtranda hac doctrina ad intima plane atque recondita Philologiæ arcana penetraſſe ſibi viſus eſt. Jam vero vocabulum *inopia*, quod in lege citata 3 C. de R. C. occurrit, exiſtimat, notare copiam & abundantiam aliquam & multitudinem probationum utrinque concurrentium, ut illis turbetur judex & anxius hæreat. Adducit in teſtem Ovidium (1) qui quondam *ipſam ſibi copiam nocuiſſe queritur*, præcipue vero Apuleium, qui, *Pſychen aſpectu Cupidinis dormientis accenſam & nimia voluptatis copia turbatam inopia fruendi laboraſſe*, dicit (2). Eodemque modo *cauſæ dubiæ* in L. 31. D. *de jurejur.* ſignificationem, eam eſſe vult, qua probationum copia perturbe-

---

(1) Ovidius Faſt. L. V. v. 5. 6.

Nam quia poſſe datur diverſas reddere cauſas
Qua ferar ignoro, copiaque ipſa nocet.

(2) Apuleius *Metam.* L. V.

tur. Provocat ideo ad Terentium, *Cœnam* appellantem *dubiam :*

Ubi tu dubitas, quid ſumas potiſſimum (1).

Immo equidem eundem Philologiæ apparatum novo adhuc & clariori argumento augere poſſem ex vita Imperatoris Claudii deſumto. Ille enim Imperator teſte Suetonio (2), cum in cognoſcendo & decernendo mira varietate animi eſſet, modo circumſpectus & ſagax, modo inconſultus & præceps, nonnumquam frivolus amentique ſimilis, ita, ut ſæpe cauſas, ſummariam cognitionem & diſcuſſionem admittentes negligeret, cauſas vero ordinarii juris agere confeſtim apud ſe cogeret, evenit quondam, *ut* (ſed riſum teneatis amici) *fœminam, non agnoſcentem filium ſuum dubia utrinque argumentorum fide ad confeſſionem compelleret indicto matrimonio juvenis* &c. ubi ergo ſub *cauſa dubia* itidem argumenta utrinque extantia intelliguntur.

II. Deinde eadem Noodtii, in cæteris jurisjurandi ſuppletorii uſum apud Romanos negantis, ſententia aliis adhuc argumentis

(1) Terentius *Phorm. Act. II. ſc.* 2. *v.* 28.

(2) Suetonius *in Claudio c.* 15. quem locum nuper illuſtravit ICtus Gœttingenſis D. Meurer peculiari comment. *Salomo und Claudius, oder der gröſte Weiſe und der gröſte Dummkopf zufällig auf einem Wege, in den Juriſt. Abhandl. und Betracht,* 1, *St. N.* 11. *Leipzig* 1780.

ſuffulciri videtur gravioribus, quæ tamen ipſi illius defenſores aut levius tractarunt, aut plane omiſerunt. Nam rarior aut nulla jurisjurandi illius neceſſarii a judice delati, ſi legum ſupra allegatarum, quas tamen alio modo interpretantur, verba exceperis, inter ICtos antiquos mentio facta hactenus pleriſque viſa eſt. Proponit potius Gellius caſum quendam, ubi reus, actore in probatione ſuccumbente, ſine jurejurando abſolutus eſt (1). Petebatur apud eum pecunia data & numerata, ſed qui petebat, *neque tabulis neque teſtibus id factum docebat, & argumentis admodum exilibus utebatur.* Erat vero petens vir bonus & expertæ fidei, alter fraudum perfidiarumque plenus. Jam fluctuabat animo Gellius, & quid ſibi faciendum eſſet, invenire non poterat. Ergo amici, quos rogaverat in conſilium, *viri exercitati atque in patrociniis & operis fori celebres non ſedendum diutius aiebant, & nihil eſſe dubium, quia abſolvendus foret, quem accepiſſe pecuniam nulla probatione ſolemni doceretur.* Sed ad jusjurandum nemo cogitavit.

Partitionem probationum in *plenam* & *ſemiplenam* Romani ignorabant, ideoque notiſſimo juris principio, quod auctore non probante reus abſolvendus ſit (2), eo firmius inhæſiſſe videntur, quo plura extant illorum aſſerta, quibus aliquem in *propria cauſa teſ-*

(1) Aul. Gellius *N. A. L. XIV. c.* 2.

(2) L. 10. D. *de Teſtibus.* L. 2. C. *de Prob.* L. 9. C. *de Except.*

tem fieri poſſe, negabant (1), immo & generatim teſtimonio unius etiam peregrini nullam fidem tribuebant (2).

Stringo eam ſententiam novo adhuc argumento. Scilicet in cauſa civili nullus ad teſtimonium cogi poterat jure antiquiori, ut infra pluribus demonſtrabo (3). Ergo quoniam cauſarum patroni multum ante domi apud teſtes verſabantur, eos variis percontationibus explorabant, ideoque, quid illi in judicio dicturi ſint, ſcire poterant (4), hinc probabile videtur, teſtes, qui intentioni producentis ſtare nolebant, maluiſſe in pleriſque caſibus plane non comparere, quam ficta promiſſione poſthac inſidias producenti ſtruere. Ex quo ſimul concluendum videtur, actores plerumque non, niſi ſatis inſtructos comparuiſſe, & rariores occaſiones, quibus circa probationum imperfectiones & gradus hærere potuerint, extitiſſe.

§. LXX.

Quæ opinio refellitur, & jusjurandum ſuppletorium a judice delatum jam Hadriani ævo aut ante in uſu fuiſſe docetur novis quibuſdam argumentis.

Sed iis omnibus non obſtantibus ego priori ſententiæ §. 68. jam explicatæ, nempe jam

---

(1) Cicero *pro Sexto Roſcio* c. 36. L. 10. D. & L. 10. C. *de Teſt.*

(2) L. 9. §. 1. C. *de Teſt.*

Hadriani ævo aut antea *jusjurandum neceſſarium* a judice ad *ſupplendas imperfectas probationes* actori (ſub quo tam actorem ſtricte talem quam reum in exceptionibus allegationes facti proferentem intelligo) delatum, perquam uſitatum minimeque ad caſum illum rariſſimum, cui adverſarii hactenus inhæſerunt, reſtrictum fuiſſe. Nam clariſſima ſunt allegata verba ICti Caii illo jam ævo viventis in l. 31. D. de jurej. *ſolent enim ſæpe judices in dubiis cauſis exacto jurejurando ſecundum eum judicare, qui juraverit.* Quæ magis adhuc illuſtrantur verbis ejuſdem ICti in l. 1. D. de jurej. *maximum remedium expediendarum litium in uſum venit jurisjurandi religio, qua vel ex pactione ipſorum litigatorum vel ex auctoritate judicis deciduntur controverſiæ*, ſub quibus ego minime jusjurandum mere confirmatum a judice, ſed ab ipſo delatum intelligo. Accedit deinde clariſſima Conſtitutio Impp. Diocletiani & Maximiani in l. 3. C. de R. C. *In bonæ fidei contractibus nec non etiam in cæteris cauſis inopia probationum per judicem jurejurando cauſa cognita res decidi oportet.* Ex quibus illius uſus & ſub Imperatoribus reliquis aperte conſtat.

Sed deinde inveni novum quoddam teſtimonium; nempe Quintilianus, vir in rebus judiciariis verſatiſſimus, Hadriani & Caii ævum quodammodo præcedens, quem ta-

(3) Quintilianus *Inſt. Orat.* L. V. c. 7. n. 9. L. 6. D. *de Teſtibus.* L. 16. C. *de Teſtibus.*

(4) Quintilianus l. c. L. V. c. 7.

men hactenus plerique non ita, ut debuiſſent, in hujuſmodi juris controverſiis explicandis familiarem habuerunt, de uſu & juſtitia illius jurisjurandi tam perſpicue teſtatur, ut nil evidentius cogitari poſſit. Supra jam inſerui integrum illius locum, quo cautelas a cauſarum patronis circa jurisjurandi delationem obſervandas ſolicite indagavit. Improbat ſimul illius imprudentiam, qui proprium offert jusjurandum, niſi *aut vita ſe tuebitur, ut eum non ſit credibile pejeraturum: aut ipſa vi religionis, in qua plus fidei conſequetur, ſi id egerit, ut non cupide ad hoc deſcendere, ſed ne hoc quidem recuſare videatur: aut ſi cauſa modo patietur litis, propter quam devoturus ſe ipſe non fuerit: aut ſi præter alia cauſæ inſtrumenta adjicit ex abundanti hanc quoque conſcientiæ ſuæ fiduciam* (1). Ergo varii heic recenſentur caſus, quibus ipſe actor admiſſionem ad proprium jusjurandum, quod non niſi ad *ſupplendas probationes* intelligendum, petere potuit, præcipue, *ſi alia adſint cauſæ inſtrumenta.* Jam vero, quamvis Quintilianus tantum de cauſarum patronis loquitur, illiſque cautelas regulaſque in tractandis cauſis obſervandas, proponit; nemo tamen eundem tam fatuum & ſtolidum crediderit, quaſi conſilia tantum vana & inuſitata, quorum in ipſo foro praxis nulla extiterit, dare voluerit. Ergo, quoniam caſus exiſtere ſuppoſuit, & affirmavit, quibus quis proprium juramentum offerre poſſit, præ-

(1) Quintilianus l. c. L. V. c. 6. n. 2 & 3.

cipue ad ſupplendas reliquas probabilitates & probationes, inde ſimul etiam judices ſæpiſſime hiſce petitis annuiſſe, atque hoc jusjurandum ſine alterius partis delatione propria auctoritate impoſuiſſe, neceſſario concluendum eſt. Et quamvis *ex abundanti* hoc fieri poſſe ait, id tamen ad oratorias ſolum artes ſpectavit, quibus cauſa talis judici proponenda & via jurijurando paranda ſit. Ipſæ enim partes, ut & noſtri advocati ſolent, ſemper pleniſſimam argumentorum ſuorum fidem prætexunt, quantacunque adhuc dubitationis materies exiſtat.

Conſpirat reliqua juris analogia, atque judiciorum mutatio ſub Imperatoribus invecta & Hadriani ævo præcipue conſpicua, ſupra jam illuſtrata, unde eadem ratione, qua magiſtratus ipſi judices, neceſſario accipiendos, partibus aſſignare cœperunt, etiam jusjurandum imponendi facultatem ſibi ſumſiſſe probabile eſt. Eleganter etiam Quintilianus jurisjurandi delationem cum judicum optione comparat verbis: *Sed nobis adoleſcentibus ſeniores in agendo facti præcipere ſolebant, ne unquam jusjurandum deferremus, ſicut neque optio judicis adverſario eſſet permittenda, nec ex advocatis partis adverſæ judex eligendus* (2). Denique etiam varia juramentorum a judice delatorum exempla in legibus paſſim occurrentia, quorum in ſequentibus præcipua occurrent, ſententiam meam extra omnis dubitationis aleam ponunt.

---

(2) Quintilianus l. c. L. V. c. 6. n. 6.

Sed ſupereſt, ut etiam ad adverſariorum argumenta paucis adhuc reſpondeam, quibus tamen facile ſatisfieri poteſt. Nam ad I. arcendus eſt ille Philologiæ apparatus, cujus labores ita compenſentur, ut inventa forſan rarior vocabuli cujuſdam ſignificatio ſola ſufficiat ad excogitanda illique ſuperſtruenda nova eaque ſingularia plane juris principia, quibus communis uſus & omnis analogia obſtat. Jam vero iſtis poetarum & rhetorum floſculis a Noodtio prolatis Jureconſulti & Imperatores non facile utuntur in legibus condendis. *Inopia* autem naturali & communi interpretatione defectum, indigentiam, debilitatem comprehendit, & opponitur *copiæ* & *affluentiæ* rerum neceſſariarum (1). Ergo non recedendum a communi ſignificatione vocis notiſſimæ. Eſt quidem aliqua ſpecies, in qua interdum poteſt judex jurejurando exacto cauſam decidere, ſi utrinque adſunt probationes, & pro alterutra parte major militat probabilitas. Sed ridiculum eſſet ſtatuere, eo unico caſu illud locum habuiſſe. Eadem ratione etiam illæ cauſæ *dubiæ* dicuntur, quæ non plene aut penitus probari potuerunt. Concedo ad cauſam dubiam pertinere etiam ambiguam,

---

(1) Ita Horatius II. ſerm. 3. v. 153. ſenem quendam, qui adhuc trahebat membra, ſed debili motu, *inopem* appellat

Deficient inopem venæ.

Idem *inopis* & puſilli animi hominem appellat,

quæ ob probationum utrinque proſtantium copiam in utraſque partes animo agi poteſt, ideoque Papinianus obſcura & dubia conjungit (2). Hæc autem dubitatio ex pluribus cauſis animo judicis injicitur, non ſolum in caſu a Noodtio citato, ſed etiam ob graves ſed imperfectas tamen actoris probationes quibus animus judicis perturbatur. Ergo generatim citatæ leges jurisjurandi delationem judici permittunt, ſi ad perfectionem probationis, quidquam adhuc deficiat, ſi veritatis fides nondum perfecte demonſtrata ſit.

Deinde ad II. etiam reliqua dubia ex præmiſſis mox corruunt. Nam ad uſum jurisjurandi neceſſarii a judice delati, non ſolum legum & ICtorum verbis ſed & Quintiliani teſtimonio graviſſimo ſatis docui. Miror itaque, ad Gellii caſum provocare adverſarios. Innuunt enim clara illius verba actorem, de quo ibi ſermo eſt, *neque tabulis neque teſtibus factum docuiſſe & argumentis admodum exilibus uſum eſſe*, ideoque ICtos convocatos, *nihil eſſe dubium*, dixiſſe, *quia abſolvendus foret reus.* Jam vero, quoniam præter vagam honeſtatis præſumtionem nullum aliud indicium ſpeciale ex ipſo facto redundans pro

---

qui raro & perpauca loqui poſſit I. ſerm. 4. v. 17. 18.

— — Inopis me quodque puſilli
Finxerunt animi, raro & perpauca loquentem.

(2) L. 22. §. 2. D. *de fideicommiſſ. lib.*

actore militabat, ſed totalis probationum defectus aderat, nullam perſpicio rationem, cur ad jurisjurandi delationem confugere debuerit judex. Ergo ille caſus minime huc ſpectat.

Ad alterum concedo lubenter, ignoraſſe Romanos eos probationum calculos regulasque univerſales ſive partitiones probationum in plenas & ſemiplenas, quibus quidem nos in theoria gloriamur, inventa quaſi menſura geometrica, cui, ſi facta applicentur, ſtatim appareat probationis quantitas & numerus, quamvis in fine tota fere computatio ad prudentis judicis animum & arbitrium redeat. Quanto modeſtius igitur & rectius Imperator Hadrianus reſcripſit Vivio Varo: *tu magis ſcire potes, quanta fides habenda ſit teſtibus, qui, & cujus dignitatis & cujus æſtimationis ſint, & qui ſimpliciter viſi ſint dicere, utrum unum eundemque meditatum ſermonem attulerint, an ad ea, quæ interrogaveras, ex tempore veroſimilia reſponderint* (1); & alibi clarius Valerio Vero: *quæ argumenta ad quem modum probandæ cuique rei ſufficiant, nullo certo modo ſatis definiri poteſt. Sicut non ſemper, ita ſæpe ſine publicis monumentis cujuſque rei veritas deprehenditur. Alias numerus teſtium, alias dignitas & auctoritas, alias veluti conſentiens fama confirmat rei, de qua quæritur, fidem. Hoc ergo ſolum tibi reſcribere poſſum ſummatim, non utique ad unam probationis ſpeciem cognitionem ſtatim alligari debere, ſed ex ſen-*

(1) L. 3. §. 1. D. *de Teſt.*

tentia animi tui te æſtimare oportere, quid aut credas aut parum probatum tibi opineris (2).

Hinc ex omnium circumſtantiarum individualium argumentorumque ſolicita collectione atque conſideratione probationis quantitatem ponderari & judici fidem fieri debere exiſtimarunt. Si quicquam deficiebat, cauſa non ſatis probata ſ. *dubia* vocabatur, quia judex in eo, num argumentis prolatis perfectæ probationis virtus inſit, adhuc hærebat. Si argumenta tantum exilia allegata erant ab actore, cauſa ne quidem dubia nominabatur, quod patet ex facto ab Aulo Gellio narrato. Ergo priori caſu ob cauſam *dubiam* jusjurandum ſuppletorium impoſuit judex, poſteriori vero abſolvit reum. Jam vero, & hodie, quamvis regulam habeamus a Pragmaticis inventam, ſecundum quam ad minimum ſemiplena probatio requiritur ad jusjurandum ſuppletorium decernendum, in ipſa tamen applicatione omnia iterum judicis arbitrio relicta ſunt, cujus eſt inveſtigare & de eo judicium ferre, num argumentis in medium prolatis talis probabilitatis gradus tribuendus ſit, adeo, ut etiam in eo caſu, quo maxima utilitate ſeſe commendare & ſubito applicari poſſe videtur illa regula, quando ſcilicet unicus teſtis omnibus exceptionibus major, clare & diſtincte de facto deponens adeſt, tamen & eo caſu judicis arbitrium præcedere, isque ſedulo inquirere debeat, num etiam

(2) L. 3. §. 2. D. *de Teſt.*

teſtis afferta cum reliquis circumſtantiis cohæreant. Unde iterum apparet, non ex uno probationis genere, aut regulæ illius applicatione, ſed omnium indiciorum nexu probabilitatem oriri.

Ex quibus omnibus conſequitur, nos re vera cum ICtorum veterum ſententia amice conſpirare, ſed novis tantum terminis uti, quoniam idem, quod illi cauſam *dubiam* vocarunt, nos *ſemiplenam* probationem nuncupamus. Neque obſtat Conſtantini conſtitutio allegata: *unicum teſtem non audiendum eſſe*, quæ maxime cruciavit interpretes. Conſtat enim, phraſin illam, aliis etiam auctoribus familiarem, idem denotare, ac alicui non ſimpliciter credere, vel obſequi. Igitur Imperator non prorſus negligi aut removeri jubet unius teſtimonium, ſed prohibet duntaxat, ne ex ſola illius affirmatione ſententia definitiva feratur, niſi alia adminicula jungantur, quæ efficere poſſunt, ut vel plena adſit probatio vel jurejurando confirmanda. Nec quidquam impedit regula, neminem in propria cauſa teſtem fieri potuiſſe. Ea enim pro materia ſubſtrata interpretanda eſt, ſcilicet deficientibus aliis adminiculis nullius teſtimonio in propria cauſa oblato credi poſſe.

Sicuti vero quis ſpontanea partium electione, quæ contingit juramenti delatione, in ea conditione conſtituitur, ita eodem jure illud procedit, ſi ob reliquorum argumentorum gravitatem etiam in propria cauſa alicujus fides ſuſtinetur, ſeu, ut elegantius expreſſit

expreſſit Quintilianus, *reliquis cauſæ inſtrumentis ea etiam conſcientiæ fiducia adjicitur.* Multo minus objicienda eſt vulgaris illa regula, *actore non probante reum abſolvendum eſſe.* Pertinet enim omnino etiam jusjurandum a judice delatum ex ipſa Romanorum ſententia inter probationes. Ergo ſi actor ne talia quidem argumenta protulit, quibus jusjurandum ſuppletorium ſuperſtrui potuiſſet, tum omnino reus abſolvendus erat, quoniam purgatorium fruſtra in legibus romanis quæritur. Porro ad tertium quamvis concedam, facilius fuiſſe cauſarum Patronis eo tempore, quo non niſi teſtes voluntarii in cauſis civilibus admittebantur, de probationum pondere antea judicare, id tamen impedire non potuit, quo minus ſæpe etiam liberalius de argumentorum gravitate cogitaverint, imprimis cum artificiali tantum probatione uterentur. Deinde ipſa auctorum teſtimonia & verba ſatis evincunt, haud rariores fuiſſe caſus, quibus etiam cum probationibus imperfectis in judicium deſcenderunt partes, ut permittente judice conſcientiæ fiducia illas ſupplerent.

§. LXXI.

Uſus jurisjurandi ſuppletorii auctus ſub Imperatoribus Chriſtianis & præcipue Juſtiniano.

Quo magis magiſtratuum & judicum poteſtas arbitraria creſcere & ab antiqua formæ pactitiæ ſimplicitate recedere cœpit, eo

frequentiorem etiam jurisjurandi hujus neceſſarii uſum fuiſſe inveni, quod præcipue ſub Imperatoribus poſterioris ævi contigit. Acceſſit deinde, poſtquam omnis penitior & elegantior juris ſcientia proſcripta eſt, mira judicum ignorantia & ignavia, qui omne fere judicii acumen ejurantes, raro in ipſa cauſarum argumenta ſubtilius penetrarunt, ſed, ut eo citius laboribus defungerentur, cauſæque finirentur, more magis deſpotico jurisjurandi conditionem impoſuerunt. Denique perverſa religionis chriſtianæ interpretatio, qua jurijurando *tactis S. S. Evangeliis* aliiſve rebus ſacris præſtito virtutem quandam *phyſicam*, ad revelandam veritatem ſtimulantem ineſſe putarunt, cum generatim inſignem juramentorum multiplicationem progenuit, tum quoque uſum hujus jurisjurandi admodum auxiſſe mihi videtur, adeo, ut cum remedio eo, cæterum rationi haud adverſante, multiplicato nimis improvido illius uſu, non potuerit non ſimul periculoſior abuſus committi. Ad minimum ſub Imp. Juſtiniano frequentiſſimum fuiſſe illius uſum patet ex conſtitutione ſupra jam explicata : *Generaliter de omnibus juramentis, quæ in litibus offeruntur, vel a judice vel a partibus, definiendum eſt. Cum enim jam increbuit, judices in pleniſſima definitione ſacramentum imponere: evenit, ut provocatione lite ſuſpenſa, hi quidem, qui jusjurandum præſtare juſſi ſunt, ab hac forte luce ſubtrahantur, probationes autem rerum cadant &c.* (1).

(1) L. 12. pr. D. *de R. C.*

§. LXXII.

De uſu hodierno jurisjurandi ſuppletorii.

Si generatim jurisjurandi delationes, quibus ipſis partibus in lite verſantibus illius præſtatio imponitur, rationi non adverſantur, ſed tanquam remedia probationis ſubſidiaria ad eruendam veritatem comparata neceſſario admitti debent, tum etiam de juſtitia juramenti ab ipſo judice prævia penitiori cauſæ cognitione illi parti, cujus quidem intentio nondum perfecte probata, ſed tamen inſigni probabilitatis juridicæ gradu conſpicua eſt, impoſiti, haud dubitandum. Maxime enim iniquum eſſet, eum, qui ex negotii natura aliove caſu ſolemni probationum apparatu quodammodo deſtituitur, ſed argumentis tamen gravibus ſuſtinetur, ſimpliciter a judicii limine depellere, atque adverſarii fraudibus & arbitrio exponere. Dari autem innumeros caſus, ubi ſolemnium probationum exiſtentia, omnibus numeris perfecta, impoſſibilis eſt, jam ſatis ſuperque demonſtravi. Ergo cum rationabile impedimentum nullum obſtat, recte etiam hodienum praxi ſtatuitur uſus hujus jurisjurandi, quod pragmatici haud incongrue *ſuppletorium* nominarunt.

In ipſa vero illius applicatione a judice haud feſtinanter, ſed caute & animo ſatis deliberato procedendum eſſe, ratio & natura illius ſatis innuunt. Itaque judex ante omnia, cum cauſa illius perſcrutationi ſub-

jicitur, ſedulo indagabit, quid leges ad plenam intentionis aut facti, de quo ſermo eſt, demonſtrationem exigant & præſcribant. Quibus probe conſideratis atque cum omnibus argumentis cauſæ ſedulo comparatis, demum cognoſcere poteſt, num aliquid ad probationis perfectionem & quantum deficiat. Hinc communi fere ICtorum in expediendis litibus verſatorum conſenſu regula communis ſenſim compilata eſt: *jusjurandum hoc ob ſemiplenam actoris probationem vel ea majorem decernendum eſſe.* Sed parum adæquata, atque uſu reali ſeſe haud commendare mihi videtur ea regula.

Quamvis enim haud negem, tales probationum partitiones mente & ingenio concipi poſſe, ipſa tamen experientia ſatis docet, impoſſibile eſſe, cauſarum argumenta ad menſuram ita certam & evidentem redigere, ut præciſe jam mediæ viæ ſtadium animadverti & ſignari poſſit. Nam plerumque aut plus aut minus probationis, quam ſemiplena adeſt. Sic, ut exemplum proferam, ubi regulæ illius vulgaris applicatio minimis dubiis obnoxia videtur, etiam teſtis unicus nunquam fere ſemiplene probat, ſed cum illius aſſertio cum reliquis circumſtantiis facti amice conſpirat, plus, ſin ſecus, minus

(1) Heineccius l. c. §. 23.

(2) Ergo etiam ad unius teſtimonium reſpiciendum eſſe negarunt, niſi illius aſſertio cum reliquis circumſtantiis arctiſſime cohæreat L. 9. §. 1. C. *de Teſt.*

virtutis, quam ſemiplena probatio deſiderat, tali teſtimonio ineſſe conſtat (1).

Itaque optarem, ut etiam heic noſtra doctrina ad priſtinam Romanorum ſimplicitatem magis rediret, qui de regulis inanibus parum ſoliciti jurisjurandi ſuppletorii uſum in cauſa ſolum dubia, i. e. ea admiſerunt, ſi circa probationis perfectionem parum deficiebat, & judex in eo ſolum ſcrupulo, num ſtatim definitiva ſententia ferenda ſit, hærebat (2). Ad minimum hodie eorum ſententiæ lubentius accederem, *qui regulariter probationem ſemiplena majorem exigerent* (3), quæ, ſubtrahendo argumenta præſentia de plenæ probationis requiſitis facilius eruitur, quoniam demonſtrato gravioris probabilitatis pondere ad perfectionem probationis inclinante & propius accedente præciſa numeri expreſſione facile carere poſſumus. Accedit alia adhuc ratio, ſcilicet teſtimonio partis in propria cauſa edito, quamvis jurato, ſemiplenæ probationis vim haud ineſſe, adeoque eum defectum reliquis argumentis dimidium ſuperantibus ſupplendum eſſe.

---

(3) Arg. L. 9. §. 1. C. *de Teſt.* & L. 20. D. *de Quæſtion.* Jac. Gothofredus in Comment. ad C. Theodoſ. T. IV. p. 313. Donellus *Comment. jur. civ.* L. XXIV. c. XIX. Faber *Conj.* L. XIX. c. 1.

§. LXXIII.

De variis probationum generibus jurijurando ſuppletorio viam parantibus, ſpeciatim I. *de præſumtionibus & jurejurando in litem.*

Quælibet probatio ad plenam propius accedens, cujus tamen momenta quædam adhuc deficiunt, jurijurando ſuppletorio viam parare poteſt. Ergo huc ſpectant I. *Præſumtiones* & *Indicia*, quæ ad artificiales probationes referuntur, modo naturaliter cohæreant cum liquidis capitibus libelli. Idem Doctores intelligunt, cum interdum & ſine probatione jusjurandum ſuppletorium decerni poſſe aſſerunt. Intelligunt enim probationem *inartificialem*, cui opponunt *artificialem*, eamque itidem ſufficere ad eum effectum recte contendunt (1). Naturalis enim cohærentia momentorum cauſæ, quorum alterum ſine altero vix quidem cogitari poteſt, omnino efficit, ut uno poſito aut conceſſo vel probato alterum probabili præſumtione ex liquidis momentis deducatur.

Ita ſi reus confeſſus eſt debitum, ſed quantitatem negavit, actor ad jusjurandum ſuppletorium admitti poteſt, ſi nempe aliæ probationes deficiunt, & omnes circumſtantiæ

---

(1) Leyſer ſp. 141. med. 1. Chriſt. Lud. Crell *de jurejurando ſuppletorio, quod ſine probatione decernitur.* Vitemb. 1751. *Nurnberg. Ref. t. VII, Geſ.* 9. §. 1.

amice conſpirant, ac fidem actoris aſſertioni conciliant. Addunt eam limitationem, niſi de ſumma majori tanquam cauſa ardua ſermo ſit (2), ubi tamen equidem univerſaliter quidquam definire non auſim.

Porro ſi confeſſus eſt reus rem depoſitam e. g. pateram argenteam, ſed negavit eam tanti prætii aut ponderis fuiſſe, quantum ab actore allegatur, neque hic eas qualitates aliis probationibus demonſtrare poteſt, *actori juranti ſuccurrendum eſſe*, Ulpianus ait (3). Multo magis actoris jurijurando creditur, ſi reus antea negaverit debitum, ſed deinde ſolemni probatione convictus ſit, quo caſu frivola rei inficiatio certiſſime eam pœnam meretur, ut actori, qui debitum probavit, & de quantitate facilius credatur. Sic quoque in domeſticis negotiis, a teſtium præſentia plerumque alienis, aut aliis improviſo geſtis, vel ubi de animo & conſilio, quo quidquam ſuſceptum ſit, eruendo agitur e. g. in beneficiis, negotiorum geſtionibus, uſucapionibus, cum bona fides dubia eſt, ob inopiam & impoſſibilitatem aliarum probationum multum huic jurijurando indulgendum (4).

Ex iiſdem rationibus ſupra jam jusjurandum *perhorreſcentiæ* quoque ad eandem claſ-

---

(2) Leyſer ſp. 184. med. 10. Struben *recbtl. Bed.* P. I. n. 35.

(3) L. 1. §. 40. D. *Dep.* C. 32. X. *de jurejur.*

(4) Arg. L. 15. D. *de neg. geſt.* L. 3. §. 1. D. *de injur.* Crell l. c. §. 2.

ſem retuli, quoniam illud quidem ſine omni cauſarum allegatione nunquam recte decernitur, ſed tamen ob difficultatem probationis inartificialis & mera indicia ac præſumtiones ſeu probationes artificiales ſufficere poſſunt. Tanto circumſpectius igitur judex erit in illis negotiis, quæ publice geſta ſunt, aut multis nota eſſe poſſunt, ubi difficilius ad jusjurandum ſuppletorium proceditur.

Præcipue vero ad eam caſuum claſſem, ubi nempe ob meras præſumtiones jurijurando locus eſſe poteſt, ſpectat *jusjurandum in litem*, cui iterum vulgo Doctores ſingularem quandam affingunt naturam (1), quamvis unice inter ea, quæ ad probationes ſupplendas inventa ſunt, numerari debeat (2), cujus tamen jam ſub libera Romanorum republica veſtigia quædam deprehenduntur (3). Nullibi intolerabiliorem Doctorum diſſenſum inveni, quam circa doctrinam de hoc jurejurando. Itaque ex ipſis legum fontibus proponam, quantum quidem hauriri poteſt.

Nempe locus eſt huic jurijurando, ſi de

(1) Jo. Phil. Slevogt *de vera jurisjurandi in litem indole & natura.* Ien. 1707. Conr. Guil. Streker *de jurejur. in lit.* Erf. 1724. Ern. Tenzel *de jurejur. in lit.* ib. 1716. Crameri op. T. II, n. 11.

(2) Nuperrime eundem errorem jam animadvertit ill. V. Tevenar *in der Theorie der Beweiſe* p. 99.

(3) Cicero *pro Quinto Roſcio Comoedo* c. 1, *Prob Dii immortales, eſſene quemquam tanta au-*

obligatione præſtationis cujuſdam conſtat, ſed alter, qui ad reſtitutionem aut præſtationem obligatus eſt, *dolo* aut *culpa* eam impedivit, quo caſu deficientibus aliis veritatem eruendi modis, ubi circa definiendam certam damni ſummam & quantitatem in lite partes verſantur, major probabilitas pro actore militat, quia re ſua illum invitum carere maxime iniquum eſt, idemque etiam de genuina pretii ſumma & quantitate optimam notitiam habet. Hinc ejus determinatio in ſubſidium ad ſupplendas reliquas præſumtiones actori jurisjurandi delatione a judice committitur. Ita vero hoc jusjurandum decernitur ob *culpam* alterius, qua res obligata deperdita eſt & interiit. Quamvis enim Ulpianus ait: *ex culpa non eſſe jusjurandum deferendum, ſed æſtimationem a judice faciendam* (4) & Marcianus : *ſed in his omnibus ob dolum ſolum in litem juratur, non etiam ob culpam, hæc enim judex æſtimat* (5), quæ teſtimonia effecerunt, ut varii ICti recentiores illius uſum ob culpam plane negaverint (6); id ita tamen intelligendum

---

dacia præditum, qui, quod nomen in tabulis referre timeat, id petere audeat? Quod in Codicem injuratus referre noluit, id jurare in litem non dubitet? Quod ſibi probare non poſſit, id perſuadere alteri conetur?

(4) L. 4. §. 4. D. *de in litem jurando.*

(5) L. 5. §. 1. D. *eod.*

(6) Ant. Faber *de Err. pragm. Decad.* 18. *er.* 6. *ſq.* Noodt *Comment. ad Dig. b. t. Op. P. II.* p. 288.

eſt, regulariter, ſi culpam tantum alter commiſerit, omnia argumenta, ad veritatem ſummæ aut quantitatis eruendam quidquam conferentia, ſummo cum ſtudio antea indaganda & exquirenda eſſe, neque hoc caſu ultra verum aut probabile pretium jurari poſſe.

Decernitur enim etiam hoc jusjurandum ad ſupplendas probationes aut præſumtiones. Hinc ceſſat illud, ubi jam a priori de certa æſtimatione conſtat, eandemque ob rationem Ulpianus ait: *Nummis depoſitis judicem non oportet in litem jusjurandum deferre, ut juret quiſque, quod ſua interfuit, cum certa ſit nummorum æſtimatio, niſi forte de eo quis juret, quod ſua interfuit, nummos ſibi ſua die redditos eſſe. Quid enim, ſi ſub pœna pecuniam debuit, aut ſub pignore, quod, quia depoſita ei pecunia abnegata eſt, diſtractum eſt* (1).

In cæteris vero cauſis incertæ æſtimationis etiam ob ſolam culpam in ſubſidium deferri illud potuiſſe actori, alia legum argumenta ſatis perſpicue innuunt. Ita enim Ulpianus ait: *Interdum, quod interſit agentis, ſolum æſtimatur, veluti cum culpa non reſ-*

(1) L. 3. D. *eod.*

(2) L. 2. §. 1. D. *eod.*

(3) L. 8. D. *eod.* L. 10. D. *eod.* ibi: *In inſtrumentis, quæ quis non exhibet, actori permittitur in litem jurare, quanti ſua intereſt, ea proferri, ut tanti condemnetur reus; idque etiam Divus Commodus reſcripſit.*

(4) L. 5. pr. & §. 1. D. *eod.* ibi: *In actionibus*

ſtituentis vel non exhibentis punitur, cum vero dolus aut contumacia reſtituentis vel non exhibentis, quanti in litem juraverit actor (2). Et Marcellus: *Tutor rem adulti, quam poſſidet, reſtituere ei non vult. Quaero, utrum quanti res eſt, an quantum in litem juratum fuerit, condemnari debet? Reſpondi, non eſt aequum; pretio i. e. quanti res eſt, litem aeſtimari, cum & contumacia punienda ſit, & arbitrio potius domini rei pretium ſtatuendum ſit, poteſtate petitori in litem jurandi conceſſa* (3). Idque obtinuit non ſolum in judiciis bonæ fidei & arbitrariis, adeo *ut & judex præfinire certam ſummam potuerit, uſque ad quem juretur* (4), ſed & *in ſtricti juris* actionibus (5).

Imprimis vero deferri poteſt hoc jusjurandum ob *dolum* ab altero commiſſum, quo reſtitutio rei aut alia obligatio fruſtrata. Id vero eam ſingularem & a priori caſu differentem habuit naturam, quod ibi ſecundum reliqua argumenti probabilia ſolum de veritate, heic æſtimatio pro lubitu & arbitrio petentis etiam *ultra verum rei pretium* fieri potuerit, unde a nonnullis vocatur *jusjurandum in litem affectionis.* Ita enim Ulpianus

---

in rem & in ad exhibendum & in b. f. *judiciis in litem juratur.* L. 3. §. 2. D. *commod.*

(5) L. 5. §. 4. D. eod. *Plane interdum & in actione ſtricti judicis in litem jurandum eſt, veluti ſi promiſſor Stichi moram fecerit, & Stichus deceſſerit, quia judex aeſtimare ſine relatione jurisjurandi non poteſt rem, quæ non extat.*

ait: *qui reſtituere juſſus judici non paret, contendens, non poſſe reſtituere, ſi quidem habeat rem, manu militari officio judicis poſſeſſio ab eo transfertur, & fructum duntaxat, omniſque cauſæ nomine condemnatio fit. Si vero non poteſt reſtituere, ſi quidem dolo fecit, quo minus poſſit, is, quantum adverſarius in litem ſine ulla taxatione in infinitum juraverit, damnandus eſt. Si vero nec poteſt reſtituere, nec dolo fecit, quo minus poſſit, non pluris, quam quanti res eſt, i. e. quanti adverſarii interfuit, condemnandus eſt. Hæc ſententia generalis eſt, & ad omnia ſive interdicta, ſive actiones in rem, ſive in perſonam ſunt, ex quibus arbitratu judicis quid reſtituitur, locum habet* (1).

Præcipue etiam illud jusjurandum obtinuit, ſi *alteri vi* res *ſua ablata erat* (2), quod

---

(1) L. 68. D. *de R. V.*

(2) L. 9. D. *de jurejur. in lit. Cum furti agitur, jurare ita oportet, tanti rem fuiſſe, cum furtum factum ſit, non adjici eo pluriſve, quia quod res pluris eſt, utique tanti eſt.*

(3) L. 9. C. *unde vi.* " Si quando vis in judicio fuerit patefacta, deinde ſuper rebus abreptis vel invaſis, vel damno dato tempore impetus quæſtio proponatur, ſi non potuerit, qui vim ſuſtinuit, quæ perdidit ſingula comprobare, taxatione a judice facta pro perſonarum atque negotii qualitate ſacramento æſtimationem rerum, quas perdidit, manifeſtet, nec liceat ei ultra taxationem a judice factam jurare, & quod hujuſmodi jurejurando dato fuerit declaratum, judicem condemnare oportet." Conſpirat jus can. c. 7. X. *de his, quæ vi*

Imperator Zeno pecuniari conſtitutione eo uſque extendit, ut demonſtrata vi adhibita non ſolum æſtimatio ſed & ſingularum rerum eo modo ſurreptarum exiſtentia jurejurando in litem probari poſſit, addita tamen limitatione, ut ſemper judex ſummam quandam determinet, neque ultra eam jurare liceat (3).

Denique & ob *doloſam alterius contumaciam* in reſtituendo eadem ratione ad jusjurandum in litem affectionis quis admitti potuit (4). Genuina vero ratio omnium ſpecierum jurisjurandi in litem, quo ob dolum alterius etiam ultra verum pretium jure romano illud permittitur, in eo præcipue ponebatur, quod iniquum viſum eſt, *invitum aliquem re ſua carere*, atque ad illius quaſi

---

metuſve cauſſa. Caſp. Henr. Horn *de ſacramento Zenoniano.*

(4) L. 18. D. *de dolo.* "Arbitrio judicis in hac quoque actione reſtitutio comprehenditur, & niſi fiat reſtitutio, ſequitur condemnatio, quanti ea res eſt. Ideo autem & hic & in metus cauſa actione certa quantitas non adjicitur, ut poſſit per contumaciam ſuam tanti reus condemnari, quanti actor in litem juraverit. Sed officio judicis debet in utraque actione taxatione jusjurandum refrenari." L. 1. D. *de in lit. jur.* "Rem in judicio deductam non idcirco pluris eſſe opinamur, quia creſcere condemnatio poteſt ex contumacia non reſtituentis, per jusjurandum in litem. Non enim res pluris fit per hoc, ſed ex cuntumacia æſtimatur ultra rei pretium."

alienationem dolo alterius cogi (1). Hinc arbitrariam pretii determinationem læſo conceſſerunt, ut damni reſarcitioni ſimul ineſſet pœna privata, quoniam non ad omnia hujus generis facta judicia publica comparata erant, ideoque pœna, ut in aliis delictis, privatis ad patrimonium læſi conferebatur (2). Deinde ex eodem juris principio derivandum eſt, reliquorum argumentorum indagationem ſubtiliorum heic ceſſaſſe, quoniam, ubi in pœnam arbitraria æſtimatio permiſſa fuit, ibi ſuperfluum erat, de veritate pretii ſcrupuloſius hærere.

II. Deferre autem hoc jusjurandum nemo poteſt, niſi judex, quoniam ad ſupplendas probationes illud decernitur (3). Hinc quo-

(1) L. 8. & 9. D. *de act. rer. amot.* " Si cum dos ſolveretur mulieri, aut ſatis doti fieret: dictum non eſſet, actum iri rerum amotarum, nihilominus agi poteſt, nam & cum dos nulla ſit, eadem actio detur. " Sabinus ait: " Si mulier res, quas amoverit, non reddat, æſtimari debere, quanti in litem vir juraſſet, non enim æquum eſt, invitum ſuo pretio res ſuas vendere. " Add. l. 25. §. 1. D. *ſol. matr.* Hinc circa contractum emtionis venditionis caſus jurisjurandi in litem affectionis exiſtere vix potuit. Jo. Frid. Eiſenhart *de jurejur. in litem affect. in emtione vend. ceſſante.* Helmſt. 1750.

(2) L. 2. §. 1. L. 8. D. *de in lit. jur.*

(3) L. 4. §. 1. D. *de in lit. jur.* " Deferre autem jusjurandum judicem oportet. Cæterum ſi alius detulerit jusjurandum, vel non delato juratum

que major eſt judicis auctoritas in eo imponendo, quam quidem in aliis juramentis a partibus delatis. Inquirere enim debet non ſolum in quævis probabilia cauſæ argumenta, ſed & in perſonarum habilitates & qualitates (4), ſubtilius, quam quidem in admiſſione jurisjurandi mere pactitii fieri ſolebat (§. 42). Deinde non ſolum in cauſis, ubi de reſtitutione rei culpæ amiſſæ ſermo fuit, certam ſummam, probabilibus veritatis indiciis convenientem, uſque ad quam juretur, præfinire, ſed & in reliquis caſibus, ubi dolus rei litem excitavit, tam ante, quam & ob novas probationes poſt jusjurandum præſtitum taxationem, ad quam jusjurandum reſtringeretur, adjicere potuit judex (5),

---

ſit, nulla erit religio nec ullum jusjurandum."

(4) Hinc pupillis, qui tamen ex partis delatione volentes admittebantur, jusjurandum in litem a judice non deferri potuit. L. 4. pr. D. *eod.* "Videamus in tutelari cauſa, quis jurare, & adverſus quem poſſit? Et quidem ipſe pupillus, ſi impubes eſt, non poteſt. Hoc enim ſæpiſſime reſcriptum eſt. — Adoleſcens vero ſi velit, jurare poteſt." Eandemque ob rationem etiam L. 26. D. *de jurejur.* de jurejurando neceſſario a judice delato intelligi poſſe cenſeo.

(5) L. 4. §. 2. D. *de in lit. jur.* ibi: "Jurare autem in infinitum licet: ſed an judex modum jurijurando ſtatuere poſſit, ut intra certam quantitatem juretur, ne arrepta occaſione in immenſum juretur, quæro? Et quidem in arbitrio eſſe judicis, deferre jusjurandum, nec ne, conſtat. An

quamvis poſteriori caſu ob majorem probabilitatis gradum ex dolo alterius jam pro actore militantem reliqua cauſæ argumenta levius pertractabat. Neque tamen ea facultate judici conceſſa diſcrimen inter jusjurandum ob culpam ſive *veritatis*, & illud, quod ob dolum adverſarii præſtabatur, ſive *affectionis* everſum, quoniam & poſteriori caſu affectui aliquid indulgebat ipſe judex, & taxationem, ita, ut pœna quædam comprehenderetur, inſtruebat, ſed tamen, uti clara legum verba innuunt, immoderatam actoris æſtimantis libidinem refrenabat (1).

Poſtea vero ab Imperatoribus præcipue Zenone (2) & Juſtiniano cautum, ut ea judicis taxatio ſemper jusjurandum præcederet, ac haud demum eo præſtito adjiceretur.

III. Uſus hodiernus hujus jurisjurandi, cujus naturam etiam ſapit juramentum expenſarum (3), dubio haud obnoxius eſt. Sed illud non niſi de *vero pretio* admittendum & affectionis æſtimationem prohibendam eſſe cenſeo. Quæ enim inter Romanos illam fovit ratio, nempe pœnæ privatæ indoles, ea hodie ceſſat, quoniam facta doloſa pleraque huc ſpectantia hodie pœnæ publicæ ſubjiciuntur,

---

igitur, qui poſſit jusjurandum non deferre, idem poſſit & taxationem jurijurando adjicere, quæritur? arbitrio tamen bonæ fidei judicis etiam hoc congruit. §. 3. item videndum, an poſſit judex, qui detulit jusjurandum, non ſequi id, ſel vel prorſus abſolvere, vel etiam minoris condemnare,

ſubjiciuntur, quæ pœnam ulteriorem in læſi favorem applicandam abſorbet. Intelligendum tamen ſub vero pretio illud, quanti res non ſolum quoad internam qualitatem, ſed & reſpectu ad alias, cum quibus conjuncta fuit, habito, conſtat. Ergo, e. g. ad eum equi ex quadriga interemti valorem reſpiciendum eſt, qui, reliquorum nexu conſiderato, eidem inerat. Breviter: *verum actoris intereſſe* in computum venit.

Ab ea tamen regula unicum excipio caſum, quo ſcilicet ne quidem ad totum actoris intereſſe, ſed unice ad verum rei ſeparatim conſideratæ pretium commune reſpiciendum eſt, cum nempe ab actoris æſtimatione jurata ſimul determinatio pœnæ criminalis pendet, ut in furto magno quinque ſolidos ſuperante, ubi læſus in ſubſidium, deficientibus aliis probationibus, æſtimatoris aut taxatoris impartialis vices gerit, adeoque non niſi rei ablatæ ſolius ac in ſe ſpectatæ pretium verum & commune, neutiquam vero reliquos illius nexus aliaque damna ſimul paſſa conſiderare debet niſi quod ea ſeparato judicio civili perſequi poſſit.

Haud feſtinanter ſed inſpectis ſemper quibuſcunque cauſæ argumentis ac probabili-

---

quam juratum eſt? Et magis eſt, ut ex magna cauſa, & poſtea repertis probationibus poſſit."

(1) L. 18. D. *de dolo.*

(2) L. 9. C. *unde vi.*

(3) Formulam exhibet *Conc. Ord. Cam.* P. I. t. 88.

tatibus in ſubſidium demum hoc jusjurandum deferri poteſt, quamvis ob dolum ab altero commiſſum & præſumtionis inde pro actore militantis gravitatem facilius, quam quidem ob meram culpam eo procedatur.

§. LXXIV.

II. *Ob teſtium inſufficentiam* & III. *inſtrumentorum defectus, ubi ſimul agitur de libris mercatorum.*

III. Decernitur porro jusjurandum ſuppletorium ob *teſtium defectus*, ſi tamen probationem illi ſemiplena majorem efficiunt, e. g. ſi unius teſtis omni exceptione majoris affirmatio credibilis eſt, & ex conditione perſonarum, negotii, ac reliquorum adminiculorum, ipſum veriſimilia affirmaſſe, apparet (1); ſi plures quidem adſunt, ſed non

(1) Quæ enim unius teſtimonium rejicere videntur leges L. 9. C. *de Teſt.* C. 10. 23. 28. 33. 47. X. *de Teſt.* eas ſolum de plenæ probationis effectu intelligendas eſſe jam docui. Conf. etiam I. G. S. A. Büchners *Progr. über die Anzahl der Zeugen beym Beweiſs.* Göttingen 1780. Immo interdum unius teſtimonium plenam infert fidem, ſi ſcilicet illud ſuſtinetur ab alio, qui jubendi habet poteſtatem. Ita Scævola codicillos Theopompi interpretatus eſt, qui filiam ſuam Criſpinam nubere juſſit amicorum arbitratu & dotem accipere, quam Pollianus dixerit, *qui ſciat mentem Teſtatoris.* Cum Pollianus jurisjurandi fide affirmaſſet, voluiſſe teſtatorem filiæ tantundem dotis nomine ex bonis ſuis dari,

omni exceptione majores, aut vitioſe examinati (2). Regulæ ſpecialiores ad doctrinam de teſtibus pertinent, & adornari vix poſſunt, ſed ad ſapientiſſimum Arcadii ICti monitum redeunt, non ſemper ad numerum teſtium reſpicientis, ſed motum judicis liberum deſiderantis, ut ſequatur illa teſtimonia, quæ rei aptiora ſint (3).

III. Suppletorium etiam defertur ob *varios inſtrumentorum defectus*, quorum iterum innumeri exiſtere poſſunt caſus: Hinc inſtrumentorum publicorum defectus interdum jurejurando ſupplentur (4). Inſtrumenta privata, quæ non probant, niſi recognitio eorum facta ſit, interdum jurijurando ſuppletorio viam parare poſſunt, ſi teſtium depoſitiones accedunt (5), aut comparatione litterarum, modo legitimo inſtituta, ſcriptionis ſimilitudo perfecta demonſtrata eſt (6). Difficilius reliquæ ſcripturæ privatæ, pro

---

quantum reliquæ filiæ a teſtatore accepiſſent, Scævola reſpondit, hæredes affirmationi Polliani ex voluntate teſtatoris obſequi debere L. 14. D. *de dote præl.*

(2) Heineccius l. c. §. 22. 23. Eberhard. Chriſt. Canz *de probabilit. jurid.* c. 3. Claproth l. c. §. 294. V. Tevenar l. c. p. 104. ſq.

(3) L. 22. §. 3. D. *de Teſt.*

(4) Inſigni cum ſtudio de variis probabilitatis gradibus inde oriundis egit Canz l. c. C. III. P. II. ſ. 3.

(5) L. 16. C. *de fide inſtrum.* Nov. 73. c. 1. 4.

(6) L. 16. L. 20. C. *de fid. inſtrum. Auth. ad hæc &c. auth.* At *ſi contractus* C. *ibid.* Nov. 73. c. 7. 8.

ſcribente nihil plane probantes (1), tantis adminiculis ſuffulciuntur, ut jusjurandum ſuppletorium locum habere poſſit.

Adoptarunt tamen Doctores inſignem quandam exceptionem circa *mercatorum libros*, quibus, ſi omnibus numeris ſint perfecti, & a mercatore (2), publicam negotiationem exercente ac fide digno legitime conditi, eam fidem tribuunt, ut illis ſolis jusjurandum ſuppletorium ſuperſtrui poſſit (3). Sunt quidem *alii*, qui ob legum huc ſpectantium inopiam talem favorem, mercatorum libris conciliatum, rejiciunt (4). Cum vero jam inter veteres Romanos mercatorum, argentariorumque *expenſilationibus*, *rationibus*, *tabulis* magna fides fuit (5), neque etiam ea rationi adverſatur, quoniam, niſi totum negotiationis ſtatum confundere velit

---

De lubricitate, requiſitis, & cautelis hujus litterarum comparationis V. Büchner cit. diſſ. *de comp. litt.* Claproth l. c. §. 244.

(1) L 5. 6. 7. C. *de prob.* Struben *rechtl. Bed.* III. n. 132. IV. n. 44.

(2) Hinc excluduntur opifices, niſi ſimul majorem negotiationem exerceant. Claproth loc. cit. §. 233.

(3) Klein *de prob. per libros mercat.* Heineccius *de mercatorum, qui foro ceſſerunt rationibus. I. opuſc. var. ſyl. n. XIV.*

(4) Donellus *Comment.* ad L. 6. C. *de prob.* p. 153. Wiſſenbach ad L. 5. C. *de prob.* p. 238. *Alii* iiſdem mercatorum libris non niſi ad probandam quantitatem, haud vero ad exiſtentiam debiti fidem tribuunt Leyſer ſp. 279. med. 1. 2.

mercator, ficta difficulter illis inſeruntur, & multo difficilius, quæ ſemel inſerta ſunt, immutantur; recte Gloſſatores (6) & Interpretes eos ſecuti jurisjurandi ſuppletorii uſum heic ſtatuerunt, ubi tamen judicem in exquirendis omnibus talium rationum qualitatibus ſcrupuloſiorem eſſe debere, lubenter concedo (7).

§. LXXV.

Reliqua de uſu jurisjurandi ſuppletorii monita.

Denique pauciſſimis ſequentia adhuc de uſu hujus jurisjurandi monenda ſunt: 1°. circa perſonarum & cauſarum habilitates eadem locum habent, quæ ſupra generatim de jurisjurandi delatione docui (§. 41--46.) (8).

---

(5) Gellius N. A. L. XIV. c. 2. Cicero *pro Q. Roſcio* c. 1 & 2. *in Verrem* I. c. 39. L. 4. L. 9. §. 2. L. 10. §. 1. D. *de Edendo*. L. 26. §. 2. D. *Depoſ.* Heineccius l. c. §. 7. ſq. Salmaſ. *de modo uſur.* c. 16.

(6) Heineccius §. 16. ſq.

(7) Conf. Bodinus *de libris mercatorum ſuſpectis*.

(8) Uſum quidem jurisjurandi ſuppletorii in criminalibus, ea ſc. ratione, quod interdum reus, qui factum confeſſus eſt, ſed dolum negavit, ut e. g. moderamen inculpatæ tutelæ prætexens, ad illud admitti poſſit, nuper demonſtrare annifus eſt cel. Quiſtorp *Abh. von der Zuläſſigkeit des Erfüllungs-Eyds in peinl. Fällen. Beytr. P. II. n.* 3. Sed caſus omnes ab eo prolati nil niſi purgatorii indolem

2°. Relatio jurisjurandi ſuppletorii, quod a judice non niſi ex ſufficienti ratione ac probabilitatis gradu imponitur, in alterum fieri non poteſt (1). 3°. Probatio pro exoneranda conſcientia, utpote quæ ante jam ſuſcepta eſt, ceſſat, niſi in quantum novæ probationes inventæ ſunt (§. 58.) 4°. Probatio pro vitando perjurio alteri eatenus concedenda, quatenus reprobandi facultas aliunde non præcluſa eſt (§. 54.) 5°. De acceptationis, præſtationis, recuſationis effectibus, expenſis, appellatione, retractatione &c. ex principiis ſupra propoſitis facile judicari poteſt (§. 54-67.)

ſapiunt, adeoque non ſuaderem, inuſitata terminorum applicatione novis dubiis doctrinam turbare. Omnia in fine ab ea quæſtione pendent, num generatim hodie jusjurandum rei, ſive purgatorium, ſive ſuppletorium illud nomines, rationi & recto jurisjurandi uſui conveniat? de qua alibi.

(1) Contrarium defendere cupit Maur. Aug. Engel *de relatione juramenti a judice injuncti.* Lipſ.

CAPUT VI.

De origine & uſu jurisjurandi teſtium.

§. LXXVI.

De origine hujus jurisjurandi variæ opiniones.

T*Eſtes non ſolum* in judiciis *criminalibus* ſed & mere *civilibus* jurejurando ad dicendam veritatem obſtringendos eſſe, leges romanæ innuere videntur, & quidem præcipue Conſtantini Imperatoris ſanctio. Conſtituit enim ille: *Jurisjurandi religione teſtes, prius, quam perhibeant teſtimonium, jamdudum arctari præcepimus, & ut honeſtioribus potius teſtibus fides adhibeatur* (2). Hinc ſimul ob verba quædam hujus legis obſcuriora & æquivoca mirus eſt inter Doctores diſſenſus de origine hujus jurisjurandi, quoniam *alii* jam antiquo jure teſtes etiam in cauſis civilibus jurantes animadvertiſſe ſibi viſi ſunt (3). Alii vero eam,

1735. Sed ejus ſententia nec legibus, nec juris analogiæ, nec genuino hujus jurisjurandi fini convenit.

(2) L. 9. C. *de Teſt.*

(3) Andreas Flor. Rivinus *de Teſtibus jurisjurandi religione arctatis a Conſtantino M. iiſdem tamen jam ante hujus tempora in foro romano jurandi neceſſitate ſubjectis.* Halæ 1744. Urget ille

etiam in cauſis civilibus jurandi, neceſſitatem a Conſtantino demum teſtibus impoſitam eſſe contendunt (1), quem in finem ad legum antecedentium præcipue ſilentium provocant.

§. LXXVII.

Conſtantinum M. jusjurandum teſtimoniale in cauſis civilibus introduxiſſe novis quibuſdam argumentis demonſtratur.

Ego vero eorum ſententiæ, qui, Conſtantinum M. & ſequentes Imperatores primum jusjurandum teſtimoniale in *cauſis civilibus* introduxiſſe, probabile putant, accedo, ſed novis atque fortioribus argumentis id demonſtrari poſſe exiſtimo. Nempe 1°. omnia, quæ ab adverſariis proferuntur, dicta ex auctoribus claſſicis decerpta, quotquot perlegi, licet inſignis eorum ſit numerus, e Cicerone præcipue deſumtorum, ad *judicia*

---

inter alia Quintilianum *Inſt. or.* L. V. c. 7. n. 5. ibi: "Nam & gentium ſimul univerſarum elevata teſtimonia ab oratoribus ſcimus & tota genera teſtimoniorum, ut de auditionibus. Non enim ipſos eſſe teſtes, ſed injuratorum afferre voces, ut in cauſis repetundarum, qui ſe reo numeraſſe pecunias jurant, litigatorum non teſtium habendos loco." Ubi ſine omni ratione ex voce *injuratorum* univerſalem jurisjurandi neceſſitatem adſtruere voluit. Verum 1°. unice de *judiciis publicis* ibi ſermo eſt, quod totus textus, ex quo Rivinus cruſtulum tantum ſubtraxit, docet. Deinde 2°. in aliis codi-

Romanorum publica unice ſpectant, teſteſque coram illis deponentes jurato ſententiam ſuam edere debuiſſe, probant. Jam vero inſignis intercedit diverſitatis ratio, cur in *publicis* quidem judiciis, in *privatis* autem non jurare debuerint teſtes. Illa enim, cum ab initio in ipſis comitiis celebrarentur, ubi nihil niſi auſpicato peragi potuit, ſupra jam cauſam indicavi, cur ibidem & teſtes evocati jurejurando initiari debuerint (§. 31.) Eadem conſuetudo & ſequenti tempore, ubi a comitiis ad Prætores ſenſim devolvebantur ea judicia, obſervata eſt. 2°. Porro ex veterum diſceptationibus forenſibus probari poteſt, cum quidem teſtium fidem in cauſis civilibus ponderarent, nunquam ad jusjurandum, ſed ad alias plane ſeu animi virtutes ſeu fortunæ conditiones præcipuam attentionem convertiſſe veteres Romanos. Notæ ſunt eam in rem amplæ Ciceronis & Quintiliani Inſtitutiones adoleſcentibus, ad artis judiciariæ gloriam adipiſcendam ſeſe

cibus legitur *injuriatorum*. Quæ lectio & mihi placet. Tum enim omnia clara ſunt. Scilicet Quintilianus varios, quibus teſtimonia impugnari poſſint, modos tradit. Incidit hac occaſione in eum caſum, quo & pro gentibus ſæpe teſtes prodeunt, quos interdum & eo impugnari poſſe putat, ut magis pro litigatoribus ſ. injuriatis habeantur, e. g. in judicio repetundarum, qui ſe reo numeraſſe pecunias jurant.

(1) Thomaſius *de fide jurid.* Hal. 1699. Jo. Sam. Stryk *de teſt. injur.* Halæ 1707.

applicantibus traditæ, ubi, quibus modis perſonas ſtatuſque teſtium inſectari fidemque illis detrahere poſſint, late diſputatur. Ea vero occaſione id quoque obſervavi, circa fidem teſtium æſtimandam in *honorum ſtatu* præcipuum momentum poſuiſſe veteres etiam Romanos. Lucri enim cupidinem atque ſubordinationis metum generatim antiquos primum & præcipue ſuſpicatos eſſe in teſtibus, conſtat, quod & Germani egerunt (1). Præclare id probat Cicero (2), qui, *perſona, inquit, non qualiſcunque teſtimonii pondus habet. Ad faciendam enim fidem auctoritas quæritur, ſed auctoritatem aut natura aut tempus affert. Naturæ auctoritas in virtute ineſt maxime. In tempore autem multa ſunt, quæ afferant auctoritatem, ingenium, opes, ætas, fortuna, ars, uſus, neceſſitas, concurſio etiam nonnunquam rerum fortuitarum. Nam & ingenioſos & opulentos & ætatis ſpatio probatos, dignos, quibus credatur, putant, non recte fortaſſe, ſed vulgi opinio mutari vix poteſt, ad eamque omnia dirigunt, & qui judicant, & qui exiſtimant; qui enim his rebus, quas dixi, excellunt, ipſa virtute videntur excellere.* Idem elegantiſſime docet ICtus Calliſtratus: *Teſtium fides diligenter examinanda eſt, ideoque in perſona eorum exploranda erunt imprimis conditio cujuſque: utrum quis decurio, an plebeius ſit, & an honeſtæ & inculpatæ vitæ, an vero no-*

(1) Jo. Carl. Henr. Dreyer *de Ceſpitalitatis requiſito in teſtibus babilibus.* Kil. 1750.

(2) Cicero Top. c. 19.

tatus quis & reprehenſibilis: an locuples vel egens ſit, ut lucri cauſa quid facile admittat, vel an inimicus ei ſit, adverſus quem teſtimonium fert, vel amicus ei ſit, pro quo teſtimonium dat. Nam ſi careat ſuſpicione teſtimonium, vel propter perſonam, a qua fertur, quod honeſta ſit, vel propter cauſam, quod neque lucri neque gratiæ neque inimicitiæ cauſa ſit, admittendus eſt (3). 3°. Ex eodem ſimul fundamento ulterior patet diverſitatis ratio. Conſtat nempe, bonorum ſtatum & ideo conſideraſſe antiquos in admittendis teſtibus, ut deinde, probato falſo teſtimonio, copia eſſet, damna quævis data læſo reſarciendi (4). Jam vero in cauſis *criminalibus*, ubi vita, corpus aut fama accuſati falſo teſtimonio petuntur, maximæ ſæpe divitiæ haud ſufficiunt, ad damna data reſarcienda. Ergo ſtatim ab initio jurejurando fidem ſtabilire voluerunt. In cauſis autem civilibus & pecuniariis, ubi omnia facultatibus reſtaurari poſſunt, ea ratio deficiebat. Deinde 4°. ſub Imperatoribus ſaltem poſterioribus nova acceſſit jurisjurandi teſtimonialis ratio, poſtquam certo a Juſtiniani tempore in cauſa quoque civili ad teſtimonium edendum, quod antea liberæ voluntatis erat, cogi quis potuit. Antea enim non niſi in cauſis & judiciis publicis inviti ad teſtimonium adigi potuerunt. Nam duo, ut Quintilianus ait,

---

(3) L. 3. D. *de Teſt.*

(4) Dreyer l. c. §. 23.

erant teſtium genera, aut voluntariorum aut eorum, quibus judex in publicis judiciis lege denunciare ſolet, quorum altero utraque pars utitur, alterum accuſatoribus tantum conceſſum eſt (1). Jam vero, quoniam teſtis in publicis judiciis producti ſed coacti fides quodammodo fluctuare videbatur, jurejurando ad eam firmandam opus erat, quæ ratio in cauſis civilibus, ubi voluntarii tantum comparuerunt, ceſſavit, quos antiqui veritatis magis affectu ductos putabant, eandemque ob rationem Licinius Rufinus ait: *idonei non videntur eſſe teſtes, quibus imperari poteſt, ut teſtes fiant* (2). Sed Imperator Juſtinianus poſtea conſtituit: *non ſolum in criminalibus judiciis ſed etiam in pecuniariis unumquemque cogi teſtimonium perhibere de his, quæ novit, cum ſacramenti præſtatione: vel jurare, ſe nihil compertum habere (exceptis tamen perſonis, quæ legibus prohibentur ad teſtimonium cogi, & etiam illuſtribus & his, qui ſupra illuſtres ſunt, niſi ſacra forma interveniat) & ſi quidem in regia urbe teſtes habitent, cogit eos propria voce teſtimonium ferre, ſi vero non adſuerunt, mitti ad eos jubet procuratores partium, ut apud eos deponant, quæ noverint, vel dejerent, quæ igno-*

---

(1) Quintilianus *Inſt. or.* L. V. c. 7. n. 9.

(2) L. 6. D. *de Teſt.*

(3) L. 16. C. *de Teſt.*

(4) Hinc, quæ a nonnullis contra uſum jurisjurandi teſtimonialis proferuntur, doctrinæ morales, ita reſtringendæ ſunt, ut ille uſus in cauſis leviſſimis evitetur & reſtringatur. In reliquis vana

rant (3). Denique etiam 5°. ulterior ratio, cur ſub Imperatoribus primum chriſtianis jusjurandum teſtimoniale ad quaſvis cauſas etiam civiles extenſum eſt, præter probabilem legum moſaicarum influxum, etiam in doctrina de teſtibus conſpicuum, generatim in ea de jurejurando philoſophia, ſenſim invecta, quærenda mihi videtur, qua illi, accedente imprimis rerum ſacrarum tactu, vim quandam phyſicam extraordinariam, ad eliciendam veritatem aptam tribuebant, eandemque ob rationem juramenta admodum multiplicabant.

§. LXXVIII.

De uſu hodierno jurisjurandi teſtium.

De uſu & neceſſitate jurisjurandi teſtimonialis, tam in cauſis civilibus quam criminalibus, haud dubitandum, utpote quod rationi non adverſatur (§. 12.) & ſi ſufficiens probabilitatis juridicæ gradus haberi velit, ſaltim inter homines a prima morum ſimplicitate & ſolius fidei cultu remotiores evitari vix poteſt (4). Eidemque neceſſitati & artis

---

eſt diſputatio, niſi ſimul homines a prima morum ſimplicitate & veritatis amore remoti ad priſtinum ſtatum reducantur. Interim cuivis indulgendum eſt, qui gravius fidei pignus expoſcit. Varia monita exhibet cel. Oesfeld *von der Eidesleiſtung* §. 17. ſq. multis. Conf. etiam de uſu hodierno jurisjurandi teſtium Jo. Jacob Küſter *de jurejur. teſtium.* Duisb.

periti tanquam teſtes adhibiti ſubjecti ſunt. Quamvis enim Germani veteres in ponderanda teſtium fide & habilitate ex rationibus, alio loco ulterius explicandis, maxime quoque ad varias fortunæ circumſtantias e. g. *paritatem natalium* & *bonorum immobilium poſſeſſionem* reſpexerunt (1); introducta tamen religione chriſtiana, cognitiſque juris *moſaici* & *romani* principiis, quæ jam in leges antiquiores irrepſiſſe, ſatis ſuperque conſtat, mox præter indicatas teſtium qualitates & jusjurandum a teſtibus eoſdem exegiſſe, notum eſt (2). Multo minus vero de uſu hujus jurisjurandi dubitandum, poſtquam leges peregrinæ, illud præcipientes (3) non ſolum tanquam communes & ſubſidiariæ receptæ, ſed & innumeris legibus recentioribus tam

---

1720. Jo. de Roy *de juramento teſtium fide & numero.* Traj. ad Rh. 1732. Leyſer ſp. 288.

(1) Illuſtr. Dreyer *de ceſpitalitatis requiſito in teſtibus habilibus* §. 2.

(2) *Capitul. Reg. Franc.* apud Georgiſch pag. 1393. 1467. 1566.

(3) Conſpirat cum legibus romanis citatis jus canonicum C. 20. C. 3. qu. 9. c. 5. & 47. X. *de Teſt.*

(4) Formula jurisjurandi teſtimonialis extat in *Conc. Ord. Cam.* P. I. t. 95. artis peritorum eod. t. 97.

(5) Conf. Jo. Frid. Hertel *de juramento teſtium præpoſtero.* Ienæ 1737. Quæ vero ille profert vitia, haud quaquam ad hanc doctrinam, ſed potius ad probationis per teſtes ſolemnia generatim ſpectant.

ad judicia Imperii ſpectantibus, quam provincialibus repetitæ ſunt (4).

Ergo regulariter omnes & quidem antequam teſtimonium perhibent (5), prævia admonitione de vitando perjurio citatis partibus in termino productionis jurejurando obſtringi debent, a quo, ſaltem inter *Proteſtantes* nec *perſonæ*, *eccleſiaſtico munere fungentes*, liberæ ſunt (6). Excipiuntur tamen *Principes*, quorum aſſeverationibus ſeriis, atque ſub fide generoſa editis ſemper fides tributa eſt (7).

In quibuſdam territoriis ſpeciali privilegio aut conſuetudine a jurejurando teſtimoniali præſtando exemti ſunt *Nobiles*. Quamvis enim leges germanicæ etiam antiquæ, juris tamen peregrini veſtigia prodentes,

---

(6) Conf. Gundling *vom Eidſchwur der geiſtlichen*, *in Gundlingianis St. IV.* n. 1. & 2. Ayrer l. c. §. 61. not. b. Conſult. D. Conſil. Jo. Leonh. Staudner *de teſt. inj.* Altorf. 1758. §. 2. ſq. *Nürnberg. Additional-Decrete* p. 321. ſq. Aliud jus canonicum præcipit, quod Clericos a tali jurejurando in laicorum foris præſtando arcet c. 21. 22. C. 22. qu. 5. L. 7. C. de Epiſc. & Cler. cujus tamen uſum recte negat V. Eſpen *Jur. eccleſ. P. III. t. 7. n. 29.* Conf. etiam Chriſt. Gottl. Buder *Diatr. de juramentis Principum eccleſiaſticorum S. I. R. Germ.* Ien. 1737. §. 39. Puffendorf obſ. T. I. obſ. 179.

(7) *Receſſ. Imp. de* 1555. §. *und da ein Churfürſt* &c. Jo. Jac. Muller *de fide principum jurijurando pari.* Ienæ 1704. Lud. Mart. Kahl *de juram. principis.* Gœttingæ 1740.

intuitu jurisjurandi inter teſtes haud diſtinxerunt, utrum ſint *nobiles* an *plebeii*, id tamen ſemper ægre tulerunt *Nobiles* ad antiquam fidem germanicam provocantes; verum alio poſtea, ut iſtam libertatem tuerentur, opus erat artificio. Nempe jusjurandum, quo Imperatori aut aliis Imperii Principibus devincti erant, allegarunt, & cum omnia juramenta ſuperflua evitanda eſſe, prætexerent, ex eadem ratione libertatem a jurejurando denuo præſtando petierunt (1). Deinde acceſſit inſignis *ſigillorum* ipſis conceſſorum auctoritas, quæ tanta fuit, ut talia teſtimonia ſigillo corroborata ſummam mereri fidem, crederetur (2).

Eo vero effectum, ut variis privilegiis & legibus particularibus ea libertas ſanctiſſime fuerit ſervata non ſolum *Nobilibus*, ſed & *Doctoribus juris*, pari prærogativa gaviſis (3). Ea vero omnia hodie ad jura particularia ſpectare, neque deficiente ſpeciali lege eam immunitatem concedendam eſſe, facile exiſtimandum eſt.

Secundum

(1) Speculum Sax. L. III. t. 54.

(2) Conf. *cod. Jur. Bav. ant. t.* 25. §. 3. in B. noſtri Heumanni *opuſc. p.* 135.

(3) Talia privilegia ſpecialia Nobiles variorum territoriorum e. g. *Auſtriaci*, *Boemici*, *Sileſienſes*, *Troppavienſes*, *Oppelenſes*, *Ratiborienſes*, *Bavarici*, *Hennebergenſes* aliique, ſive expreſſe ſive conſuetudine acceperunt, quorum ampliſſimam recenſionem exhibet illuſtr. Walch *in eleganti Comment. de Nobilium teſtimonio injurato*, Ien. 1759. Conf.

Secundum eadem principia in *civitatibus* quibuſdam legibus provincialibus immunes ſunt a jurejurando *Senatores*, ob jusjurandum generale intuitu officii præſtitum, quod ſcilicet ad quaſvis *cauſas*, *officii rationem haud concernentes* extenditur.

Generatim vero *jurijurando officiali* ille effectus tribuitur, ut deinde, ſi ſpeciatim de re ad illud officium ſpectante teſtimonium exhibendum ſit, juramentum novum non exigatur (4). Hinc *Medici* & *Chirurgi* in ſingulis ſectionibus & inſpectionibus illud non præſtare ſolent, ſi ad eos actus juramento generali & officiali jam obſtricti ſunt.

Liberantur a jurejurando teſtimoniali illi ſubditi, quorum religio, jusjurandum præſtare, non permittit (§. 7). In cauſis levioribus interdum & meris aſſertionibus, aut ſaltem loco ſolemnis jurisjurandi ſtipulata manu confirmatis creditur. Denique ceſſat juramentum teſtimoniale, ſi illud a partibus *ipſis* remiſſum eſt (5).

---

etiam Gailius L. I. obſ. 101. Ill. Riccius *von dem landſäſſigen Adel.* P. II. c. 36. p. 488. Herm. Zoll *de promiſſionibus generoſa fide vallatis*, vulgo *von der Cavalierſparole oder dem adelichen Wort.* Rint. 1695. De *Doctoribus* ex eadem ratione in quibuſdam territoriis a jurejur. teſtim. immunibus.

(4) Gailius *L. I. obſ.* 101. Stryk *de teſtimonio injurato.* c. 2. § 19. Staudner l. c. §. 8. Conf. *Reform Nor.* tit. VII. Geſ. 5. §. 2.

(5) C. 39. 52. X. *de Teſtibus.*

CAPUT VII.

De jurejurando promiſſorio Romanorum ſententia ejuſque uſus.

§. LXXIX.

Uſus jurisjurandi promiſſorii in cauſis privatis rariſſimus apud Romanos, illique nulla plane novæ obligationis qualitas inerat.

Usus *jurisjurandi promiſſorii*, ſi quidem cauſas publicas, nempe officia fœderaque icta, de quibus ſupra jam actum (§. 31.) exceperis, rariſſimus fuit inter Romanos. Quodſi vero & veſtigia illius occurrunt in negotiis privatorum, tantum tamen abfuit, ut *obligationem quandam novam* jurijurando adjecto tribuerint Romani, ut potius tale vinculum acceſſorium cum obligatione principali eundem ortum atque interitum eademque fata ſubire ſemper ſtatuerint, prouti omnino ſanæ rationi convenit. Eorum vero dogmatum, in omnibus Reipublicæ periodis anxie ſancteque ſervatorum, rationes non opus eſt e longinquo arceſſere. Nam primis temporibus eadem cauſa, quæ generatim inter antiquos obtinuit, jurisjurandi promiſſorii uſum juſtis limitibus circumſcripſit, morum ſimplicitas, vitæ, paucis contentæ

frugalitas, ſumma verborum dictorumque fides, qua ſaltim inter ſe ipſos gloriam quæſiverunt veteres etiam Romani. Ut enim cives ad fidem in contractibus obſervandam adduceret, Numa Rex jam excogitaverat quidquam non animadverſum antea a quoquam eorum, qui celebres conſtituere Reſpublicas. Videns enim contractus palam & coram teſtibus factos manere inviolatos conſciorum verecundia, raroque in his admitti injuriam, qui vero ſine teſtibus fierent, quorum longe major eſt numerus, eos conſtare ſola fide contrahentium, quo magis eam commendaret omnium ſtudiis, divinos illi honores deferendos ſtatuit. Hæc cogitans primus omnium *Fidei publicæ* templum ſacravit, aſſignatis ex ærario ſacrificiis, quemadmodum Diis cæteris. Publicus enim civitatis mos in fide hominibus conſtanter ſervanda privatorum etiam hominum mores ad idem ſtudium conformavit. Adeo certe venerabilis & inviolabilis ea res eſt habita, ut *ſua cuique fides* pro *ſanctiſſimo jurejurando* & *longe firmiſſimo teſtimonio fuerit* (1).

Poſtquam vero, ſicut idem & inter alias gentes animadvertere licet, uſus jurisjurandi, quem ab initio non tam tuendæ demum veritatis cauſa, quam auſpicandorum Deorum gratia Romanos inveniſſe docui, multiplicari, in formam artis redigi, atque ab ipſis rerum argumentis & animi ſententia interdum ſejungi voluit; tum, quos antea

(1) Dionyſius Ant. L. II.

ſola definiebat naturalis & innata recte ſentiendi ratio genuinos jurisjurandi effectus ampliori quodam Philoſophiæ apparatu juſtis cancellis circumſcribere ſtuduerunt & feliciter etiam ſervarunt ſapientes Populi. Hinc, cum de præclaro quondam Reguli, in patriam redeuntis, deinde vero ob juratam promiſſionem ad *Carthaginenſes* revertentis facto diſſeruit Cicero, neſcio an ullus Romanorum in vera jurisjurandi promiſſorii natura definienda, eodem elegantior accuratiorque fuerit. *Non fuit*, inquit, *metuendus Jupiter, ne iratus noceret, quia neque iraſci ſoleret, neque nocere. Hæc quidem ratio non magis contra Regulum, quam contra omne jusjurandum valet.* Sed in jurejurando non qui metus, ſed quæ vis ſit, debet intelligi. *Eſt enim jusjurandum affirmatio religioſa. Quod autem affirmans quaſi Deo teſte promiſeris, id tenendum eſt. Jam enim non ad iram Deorum, quæ nulla eſt, ſed ad juſtitiam & ad fidem pertinet. Nam præclare* Ennius

O fides alma apta pennis
Et jusjurandum Jovis.

Qui igitur jusjurandum violat, is fidem violat,

---

(1) Cicero Off. L. III. c. 29. Idem *pro Roſcio* c. 16. ibi: "At quid intereſt inter perjurum & mendacem? qui mentiri ſolet, pejerare conſuevit. Quem ego ut mentiatur inducere poſſum, ut pejeret, exorare facile potero. Nam qui ſemel a veritate deflexit, hic non majore religione ad perjurium, quam ad mendacium perduci conſuevit. Quis enim depre-

quam in Capitolio vicinam Jovis O. M. majores noſtri eſſe voluerunt. — Quod enim ita juratum eſt, ut mens conciperet, fieri oportere, id obſervandum eſt, quod aliter, ſi non feceris, nullum perjurium eſt, ut ſi prædonibus pactum pro capite pretium non attuleris, nulla fraus eſt, nec ſi juratus quidem id non feceris. *Nam pirata non eſt perduellium numero definitus, ſed communis hoſtis omnium. Cum hoc nec fides eſſe debet, nec jusjurandum commune.* Non enim falſum jurare pejerare eſt, ſed quod ex animi tui ſententia juraveris, ſicut verbis concipitur more noſtro, id non facere perjurium eſt. — Regulus *vero non debuit conditiones, pactionesque bellicas & hoſtibus perturbare perjurio. Cum juſto enim & legitimo hoſte res gerebatur, adverſus quem & totum jus feciale & multa ſunt juria communia. Quod ni ita eſſet, nunquam claros viros Senatus vinctos hoſtibus dedidiſſet* (1). Ita enim ſæpe adulta ratione ſed moribus in deterius mutatis neceſſarium fuit, perverſis religionis interpretationibus & ſuperſtitioni bellum indicere, ut fidei honos poſtliminii jure reddatur & ſervetur. Eo vero redit tota Ciceronis diſputatio, ut jusjurandum a ſimplici pro-

---

catione Deorum non conſcientiæ fide commovetur? Propterea, quæ pœna a Diis immortalibus perjuro, hæc eadem mendaci conſtituta. Non enim ex pactione verborum, quibus jusjurandum comprehenditur, ſed ex perfidia & malitia, per quam inſidiæ tenduntur alicui, Dii immortales hominibus iraſci & ſuccenſere conſuerunt."

miſſione ac fide haud diſcernatur, nec unquam alia, quam quidem jam ante ex animi ſententia adeſſet obligatio, jurejurando induci poſſit.

§. LXXX.

Probatur ea doctrina evidentibus juris romani principiis & quidem I. ex inefficacia pacti nudi licet jurejurando confirmati.

Ea vero Romanorum doctrina & evidentiſſimis quoque juris principiis probari poteſt. Jusjurandum enim ad pactum nudum, vinculo civili & legali deſtitutum accedens nullam efficere potuit obligationem. Hinc eleganter Paulus & Ulpianus referunt: *legitima conventio eſt, quæ lege aliqua confirmatur, & ideo interdum ex pacto actio naſcitur, vel tollitur, quotiens lege vel Senatuſconſulto adjuvatur* (1). *Et generaliter quoties pactum a jure communi remotum eſt, ſervari hoc non oportet; nec legari*, nec jusjurandum de hac adactum ne quis agat, ſervandum, *Marcellus L. II. Dig. ſcribit: & ſi ſtipulatio ſit interpoſita de his, de quibus paciſci non licet, ſervanda non eſt, ſed omnino reſcindenda* (2). Ut enim reliquis pactionibus juratis, ad dirimendas lites in-

---

(1) L. 6. D. *de Pactis.*

(2) L. 7. §. 16. D. *de Pactis.* Conſpirat l. 13. §. 12. D. *de damno infecto.*

(3) Cujacius *Obſ. L.* 22. *c.* 7. Noodt *ad tit.* D. *de jurejur.* l. c.

terpoſitis, vis ineſſet, Prætoris auctoritatem effeciſſe jam docui. Unica vero priori regulæ adjecta videtur exceptio, nempe jusjurandum promiſſorium a *libertis patrono de obſequio, dono & operis* præſtitum obligationem novam produxiſſe, in quo, ut plerisque viſum, heterogeneo juris principio reſecando, vel cum cæteris legum capitibus conciliando, dici vix poteſt, quantum deſudaverint juris civilis Interpretes, *aliis* ex lege *Julia & Papia* (3), *aliis* ex moribus illud derivantibus (4). Sed ſalva res eſt, nec unquam ex iſta jurisjurandi ſpecie exceptionem a communi regula deflectentem extorquere debuiſſet ſcrupuloſa nimis Interpretum diligentia aut potius diſtinguendi libido. Nempe, quum generatim legibus romanis conſtitutum eſſet, ne unquam liber homo alteri *operarum* quandam *ſervitutem* promitteret, neve, quamvis jusjurandum acceſſiſſet, obligatio inde oriretur, nec fidejuſſio adjecta valeret (5); aliud tamen intuitu libertorum obtinuit, qui ad operas *officiales* non tantum, ſive ſpecialis promiſſio accederet, ſive non, adigebantur (6) ſed & ad *fabriles* & *artificiales* præſtandas ſpeciali *promiſſione* aut ſtipulatione obligare ſe poterant, quale pactum Prætoris auctoritate ſubſtinebatur. Jam vero, cum pactum ipſum

---

(4) Schulting *Juriſpr. Antejuſt.* p. 155. *in notis.*

(5) L. 56. D. *de fidej.* ibi: "Si quis pro eo, qui libertus non eſſet, & operas præſtiturum ſe juraſſet, fidejuſſor erit, non tenebitur."

(6) L. 9. §. 1. L. 20. §. 1. L. 38. §. 1. D. *de op. lib.*

obligatorium eſſet, & Prætor judicium de eo daturum edixiſſet; non potuit non & jurijurando adjecto auctoritas tribui (1). Quis vero, quæſo, vel qua juris ſpecie novam ex jurejurando obligationem ortam, a cæteris juris romani principiis deflectentem, eo caſu effinxerit, ubi jam per ſe obligatio perfecta & vinculo civili prædita erat. Corruit vero illud figmentum ex alia adhuc ratione. Nempe ſecundum legem *Juliam* & *Papiam* libertus, quoties duos pluresve a ſe genitos natasve in poteſtate haberet, ſtatim ab omni operarum promiſſarum obligatione etiam ju-

(1) Rem totam exponit Caius Inſt. L. II. t. 9. apud Schulting. l. c. p. 155. ibi: "Item & alio caſu uno loquente & ſine interrogatione promittente contrahitur obligatio, i. e. ſi libertus patrono aut donum aut munus, aut operas ſe daturum eſſe juraverat. Exponendum heic, quid ſit donum, aut munus, vel operæ. In qua re ſupradicti liberti non tam verborum ſolemnitate, quam jurisjurandi religione tenentur. Sed nulla altera perſona hoc ordine obligari poteſt". L. 2. §. 1. D. ibi: "Initio igitur Prætor pollicetur, ſe judicium operarum daturum in libertos & libertas". L. 7. *eod.* Denique & ſola promiſſione obligationem conſtitutam fuiſſe, indubium eſt l. ult. D. *de lib. cauſa. Licet dubitatum antea fuerit, utrum ſervus duntaxat, an libertus jurando patrono obligaretur, in his, quæ libertatis cauſa imponuntur, tamen verius eſt, non aliter quam liberum obligari.* Ideo autem ſolet jusjurandum a ſervis exigere, ut hi religione adſtricti, poſtea quam ſuæ poteſtatis eſſe cepiſſent, jurandi neceſſitatem haberent, dummodo in continenti, cum manumiſ-

rata liberabatur. Ergo, uti ſine jurejurando oriebatur obligatio, ita & cum hujus interitu, illius vis ſimul ceſſavit (2). Id quod ſtatui neutiquam potuiſſet, ſi ex jurejurando ſolo propriam & novam obligationem ortam eſſe, putaſſent.

§. LXXXI.

II. *Ex invaliditate conditionis jurisjurandi, ultimæ voluntati adjectæ.*

II. Alterum illius dogmatis conſectarium

ſus eſt, aut juret, aut promitteret. Hinc ratio ſimul in aprico eſt, cur jusjurandum plerumque adhibuerint. Nempe, quoniam liberti poſt manumiſſionem operas promittere ſæpe detrectarunt, qualis tamen promiſſio non niſi a libero fieri potuit, Domini, ut juſto adhuc tempore ſibi proſpicerent, eos jam ante manumiſſionem jurejurando in eventum obſtrinxerunt. Cicero ad *Att. ep.* L. VII. ep. 2. ubi docet, *vetus jam tum fuiſſe illud Druſi Prætoris, qui eos, qui poſt manumiſſionem jam liberi, nolebant, eadem jurare, quæ in ſervitute juraverant, negabat ſe liberos addixiſſe.*

(2) L. 37. D. *de op. lib. Qui libertinus duos pluresve a ſe genitos natasve in ſua poteſtate habebit, præter eum, qui artem ludicram fecerit, quive operas ſuas, ut cum beſtiis pugnaret, locaverit, ne quis eorum operas, doni, muneris, aliudve quicquam libertatis cauſa patrono, patronæ liberiſve eorum, de quibus juraverit, vel promiſerit obligatusve erit, dare, facere, præſtare debeto.*

conſpicuum erat circa *conditiones jurisjurandi*, ultimis voluntatibus adjectas, quas pro invalidis declaratas fuiſſe legibus romanis conſtat (1). Julianus enim ait: *Quicunque hæres ſcriptus erit ſub conditione, ſi juraverit, ſe decem daturum aut monumentum facturum, quamvis verbis edicti ad hæreditatem vel legatum admittatur, tamen compellitur facere id, quod facturum ſe jurare juſſus eſt, ſolo jurejurando remiſſo* (2). Conſpirat Marcellus: *Edictum Prætoris, quo jusjurandum hæredibus inſtitutis legatariiſque remittitur, locum habet etiam in militum teſtamentis, ſicut etiam in fideicommiſſis* (3). Clariſſime autem illud juris principium explicat Ulpianus: *Quæ ſub conditione jurisjurandi relinquuntur, a Prætore reprobantur. Providit enim, ne is, qui ſub jurisjurandi conditione quid accepit, aut omittendo conditionem perderet hæreditatem, legatumve, aut cogeretur, turpiter accipiendi conditionem jurare. Voluit ergo eum, cui ſub jurisjurandi conditione quid relictum eſt, ita capere, ut capiunt hi, quibus nulla talis jurisjurandi conditio inſeritur: & recte. Quum enim faciles ſint nonnulli hominum ad jurandum contemtu religionis, alii perquam timidi metu divini Numinis uſque ad ſuperſtitionem, ne vel hi vel illi aut conſequerentur, aut*

---

(1) Illuſtris Walchii *elegantiſſima Diſſert. de conditione jurisjurandi ultimis voluntatibus adjecta.* Jenæ 1759. Idem *in notis ad* Ekardi *Hermeneuticam juris ad* §. 142.

(2) L. 26. D. *de cond. & demonſtr.*

(3) L. 29. D. *de teſt. mil.*

perderent, quod relictum eſt, Prætor conſultiſſime intervenit. Etenim potuit is, qui voluit factum, quod religionis conditione adſtringit, ſub conditione faciendi relinquere. Ita enim homines aut facientes admitterentur, aut non facientes deficerentur conditione (4).

Quodſi igitur ad mentem & ſenſum earum legum animum applicamus, illarum ratio in propatulo eſt, nempe ex inefficacia jurisjurandi promiſſorii, cui omnem novæ obligationis qualitatem detraxerunt, derivanda. Aut enim, quæ ultimæ voluntati adſcribitur conditio, infra legum terminos adjecta adeoque ab inſtituto præſtanda, aut pro impoſſibili ſive natura ſive moraliter tali i. e. turpi adeoque pro non ſcripta habenda, & eam ob rationem ab hærede haud adimplenda eſt. Priori caſu jurisjurandi vinculo haud opus, quoniam hæres non adimpleta conditione, licite adjecta, hæreditatem aut plane non accipit, aut acceptam amittit. Simul vero ex ea jurisjurandi neceſſitate, conditioni licitæ ſuperflue adjecta, illud adhuc maximum incommodum evenire potuit, ut, quod ipſa legum verba eleganter innuunt, illi hæredes, qui optimam quoque mentem & officiorum rite perficiendorum intentionem ha-

(4) L. 8. pr. D. *de Cond. Inſt.* Idem repetunt Imperatores L. 112. §. 4. D. *legat. I.* ibi : « Divi Severus & Antoninus reſcripſerunt, jusjurandum contra vim legum & auctoritatem juris in teſtamento ſcriptum nullius eſſe momenti.

buiſſent, perquam timidi metu divini Numinis uſque ad ſuperſtitionem, ab acceptatione hæreditatis & legati arceri potuiſſent. Poſteriori vero caſu, quum conditio ſive natura ſive moribus impoſſibilis & turpis ne minima quidem vi interna prædita, atque pro non ſcripta habenda eſt (1), ſponte ſequebatur, neque jusjurandum adjectum illius naturam immutare, aut id, quod ſecundum leges illicitum erat, nova qualitate augere & validum efficere potuiſſe (2). Exinde vero, cur jusjurandum in utroque caſu pro inefficaci, ſuperfluo & invalido habitum, conditiones vero ad eundem calculum, ac ſi nulla religio adjecta fuerit, revocatæ ſint, facile perſpicitur.

Verum eandem doctrinam ulterius adhuc inſigni cum eruditione explicavit illuſtris Walchius (3), qui incidit in Stoicorum philoſophiam, ejuſque ſectatores ICtos idem dogma inde depromſiſſe ac in jurisprudentiam tranſtuliſſe, docuit, his potiſſimum innixus rationibus, quod, cum jam Pythagoras diſcipulis ſuis præcepiſſet, ut ad jusjurandum raro ac tarde procederent, tum idem quoque philoſophiæ ſtoicæ ſectatores, Marcus imprimis & Epictetus, arripuerint, atque is ipſis lædere pietatem reverentiamque adverſus Deum viſus fuerit, qui rebus qui-

(1) L. 14. & 15. D. *de Cond. Inſt.*

(2) L. 20. D. *de cond. & demonſtr.* ibi: Marcellus, *non dubitamus*, inquit, *quin turpes conditiones remittendæ ſint, quo in numero plerumque*

buſlibet etiam parvis & vilibus, quibus præcipue facultates bonaque accenſuiſſent, ſine neceſſitate teſtimonium Dei adhibuerit. Quæ omnia eo majori probabilitatis gradu ſuffulciri putat, quoniam ICti Marcianus & Marcellus, quorum placita eandem ſententiam fovent, Philoſophiæ Stoicæ fuerint addictiſſimi (4).

Quamvis cæterum a me nunquam impetrare potui, ut ad eorum caſtra tranſirem, qui in augendis Stoiciſmi effectibus ita ſibi placuerunt, ut ea omnia romani juris capita, quorum vel aliqualem tantum ſimilitudinem cum iſtius Philoſophiæ placitis animadvertiſſe ſibi viſi ſunt, ſtatim inde depromta eſſe putaverint, quantumvis ea inter communia dogmata, quæ ſana ratio omnes docuit, referri debuiſſent; ego tamen huic *Viri Illuſtris* conjecturæ in eo lubenter accedo, inſigni ſcilicet illius Philoſophiæ cultu effici potuiſſe, ut ICti iſtius ævi doctrinam eam de vanitate conditionis jurisjurandi toties & tam anxie inculcarent. Id tamen ſimul aſſerere auſim, eandem doctrinam, quæ non tantum ad ſectæ cujuſdam proprietatem referenda, ſed potius pro communi ſanæ rationis dictamine habenda eſt, antiquiori ævo Romanis ſemper amicam fuiſſe, quoniam ea id ſolum involvit, jusjurandum conditioni

---

ſunt etiam jurisjurandi.

(3) Ill. Walchius *not. ad Ekard.* l. c. §. 121.

(4) L. 112. D. *de leg. I.* L. 20. D. *de cond. & dem.*

adjectum ſuperfluum eſſe & novam haud gignere obligationem, quam ſententiam per omnia etiam juris romani antiquiſſimi capita ſeſe exſeruiſſe jam docui. Hinc etiam Ciceronem de eadem conditionis hujus inefficacia intelligo, cum in *Verrem* ita differit: *R. Trebonius viros bonos & honeſtos fecit hæredes complures. In his fecit ſuum libertum.* Is Aulum Trebonium fratrem habuerat proſcriptum. Ei cum cautum vellet, ſcripſit, ut hæredes jurarent, *ſe curaturos*, ut ex *ſua cujuſque parte ne minus dimidium ad A. Trebonium fratrem illum proſcriptum perveniret.* Libertus jurat. *Cæteri hæredes adeunt ad Verrem, docent*, non oportere ſe jurare, *facturos eſſe*, quod contra legem Corneliam eſſet, quæ proſcriptum juvare vetat. Impetrant, ut ne jurent. *Dat his poſſeſſionem.* Id ego non reprehendo. Etenim erat iniquum, homini proſcripto egenti de fratris bonis quicquam dari, *& ille libertus, niſi ex teſtamento Patroni juraſſet, ſcelus ſe facturum arbitrabatur. Itaque ei Verres poſſeſſionem hæreditatis negat, ſe daturum, ne poſſet patronum ſuum proſcriptum juvare, ſimul, ut eſſet pæna, quod alterius patroni teſtamento obtemperaſſet.* Das poſſeſſionem ei, qui non juravit. Concedo. *Prætorium eſt. Adimis tu ei, qui juravit? quo exemplo? proſcriptum juvat. Lex eſt, pæna eſt. Quid ad eum, qui jus dicit? Utrum reprehendis, quod Patronum juvabat eum, qui tum in*

(1) Illuſtr. Jo. Ern. Imm. Walchii *Comment. qua antiquorum chriſtianorum doctorum de jure-*

miſeriis erat, an quod alterius Patroni mortui voluntatem conſervabat, a quo ſummum beneficium acceperat? Hinc ſimul exiſtimari poteſt, etiam jusjurandum teſtamento adjectum illius mutationem haudquaquam impedire potuiſſe.

§. LXXXII.

Eandem ſententiam Imperatoribus chriſtianis fuiſſe, variis argumentis demonſtratur.

Neque putandum eſt, introducta ab Imperatoribus religione chriſtiana, ab iſto principio, cum toto juris romani ſyſtemate arctius coalito eos deflexiſſe. Erat enim tunc temporis notiſſimum illud *juris canonici* dictum: *omne jusjurandum ſervandum eſſe, quod ſalva ſalute æterna ſervari poteſt*, nondum perverſis illis interpretationibus obumbratum, quibus ſequentibus temporibus tota hæc doctrina quam maxime perturbata eſt, quaſi & negotia legibus adverſa jurejurando adjecto ſanari poſſent.

Inculcarunt potius *Patres* primæ eccleſiæ quavis occaſione rariſſimum & cautum jurisjurandi uſum (1), idque ſpeciatim, ne unquam negotiis contra leges ſuſceptis religio adjiciatur. Hinc Antiſtitum Conciliorumque illius temporis ſententiæ expreſſis verbis voluerunt, non ſolum omne jusjurandum ſive

---

jurando ſententiæ percenſentur & dijudicantur. Ien. 1744.

in leges divinas ſive humanas impingens, generatim illicitum & legibus adverſum haud ſervandum (1), ſed & tolerabilius eſſe, tale juramentum non implere, quam quod turpe eſt, facere: *Unuſquiſque ſimplicem ſermonem proferat, vas ſuum in ſanctificatione poſſideat, nec fratrem ſuum circumſcriptione verborum inducat, nihil promittat inhoneſtum, aut ſi promiſerit, tolerabilius eſt, promiſſum non facere, quam facere, quod turpe ſit. Sæpe plerique conſtringunt ſe ipſos jurisjurandi ſacramento, & cum ipſi cognoverint, promittendum non fuiſſe, ſacramenti tamen contemplatione faciunt, quod ſpoponderunt* — quanto *tolerabilius tali fuiſſet, perjurium ſacramento* (2)? Porro: *magnæ ſapientiæ eſſe, revocare hominem, quod male locutus eſt — Non enim ſemper promiſſa omnia ſolvenda ſunt. Denique ipſe Dominus frequenter ſuam mutat ſententiam, ſicut ſcriptura indicat.* —

Diffinitio incauta laudabiliter ſolvenda eſt, nec eſt prævaricatio, ſed temeritatis emendatio (3). Potuit etiam talis temeritas & incautus jurisjurandi uſus pœnitentia, jejuniis aliiſque corporum caſtigationibus expiari: *incommutabilis* enim *eademque ſemper exiſtens Dei natura parcens ſua ſæpe in ſacris litteris legitur mutaſſe promiſſa & pro miſericordia temperaſſe ſententiam. Unde quamlibet ſit impaſſibilis atque immutabilis, ejuſdemque Deitatis, licet ſint dicta*

(1) *Cauſ. XXII. qu.* 3. & 4. *c.* 1—7.
(2) C. 8. *eod.*

dicta firmiſſima, crebro tamen ejus & juramenta leguntur & pœnitentia, quæ ſacris extant myſteriis adoperta. Jurare namque Dei, eſt a ſe ipſo nullatenus ordinata convellere: pœnitere vero, eadem ordinata, cum voluerit, immutare. Sic per Hieremiam dicit: repente loquar adverſum gentem & adverſum regnum, ut eradicem, & deſtruam, & diſperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa ſuper malo ſuo, quod locutus ſum adverſus eam, agam & Ego pœnitentiam ſuper malo quod cogitavi, ut facerem ei (4). Quæ rationes, quantumvis male cohæreant & de perverſo ſacras litteras interpretandi modo teſtentur, effecerunt tamen, ut jurisjurandi promiſſorii in cauſis privatorum uſus & vis quam maxime adhuc circumſcriberetur.

Hinc expreſſa quoque lege idem conſtituerunt Imperatores Chriſtiani Theodoſius & Valentinianus: *non dubium eſt, in legem committere eum, qui verba legis amplexus contra legis nititur voluntatem. Nec pœnas inſertas legibus evitabit, qui ſe contra juris ſententiam ſæva prærogativa verborum fraudulenter excuſat. Nullum enim pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus ſubſecutum, qui contrahunt, lege contrahere prohibente. Quod ad omnes etiam legum interpretationes tam veteres, quam novellas trahi generaliter imperamus, ut legislatori, quod fieri non vult, tantum prohibuiſſe ſufficiat, cæteraque quaſi expreſſa ex legis liceat voluntate colligere,*

(3) C. 10. 12. & 17. *eod.*
(4) C. 9. *eod.*

hoc eſt, ut ea, quæ lege fieri prohibentur, ſi fuerint facta, non ſolum inutilia ſed pro infectis etiam habeantur, licet legislator fieri prohibuerit tantum, nec ſpecialiter dixerit, inutile eſſe debere, quod factum eſt. Sed &, ſi quid fuerit ſubſecutum ex eo, vel ob id, quod interdicente lege factum eſt, illud quoque caſſum, atque inutile eſſe præcipimus. Secundum itaque prædictam regulam, qua ubicunque non ſervari factum lege prohibente cenſuimus, certum eſt, nec ſtipulationem hujuſmodi tenere, nec mandatum ullius eſſe momenti, nec ſacramentum admitti (1).

Atque ex iiſdem rationibus Imperator Juſtinianus conſtituit, ut *compromiſſa* nunquam fiant cum *Sacramenti* religione, ſed potius pœna conventionali ea firmentur, ne ſcilicet, cum poſtea ob arbitri electi ignorantiam ab ejus ſententia recedendum eſſet partibus, perjuriis ſimul occaſio detur (2).

Principiis hactenus expoſitis de inefficacia jurisjurandi promiſſorii obſtare videtur conſtitutio Imperatoris Alexandri L. 1. C. *ſi adv. vend.* ibi: *Si minor annis viginti quinque emtori prædii caviſti, nullam de cætero te eſſe controverſiam facturum*, idque etiam jurejurando corporaliter præſtito ſervare confirmaſti, *neque perfidiæ neque perjurii me auctorem tibi futurum ſperare debuiſti*, ad quam legem illi præcipue provocant, qui perverſis juris canonici novioris ac interpretum principiis de vi jurisjurandi promiſſorii jam in legibus romanis

(1) L. 5. C. *de Leg.*

auctoritatem quandam figere ſtudent. Sed facilis eſt ſolutio hujus legis, qua nil minus quam nova obligatio jurijurando minorum adſcribitur; 1°. conſtat enim, *minoribus* tunc temporis non niſi deſiderantibus datos eſſe curatores, Hartwig *brevis curarum hiſtoria* §. 10. Sed iis tamen competiiſſe remedium reſtitutionis in integrum, ſi læſio ex contractu appareret, quod tamen tunc ceſſavit beneficium, ſi dolo malo majores ſeſe profitebantur, aliove modo tertios ad contrahendum ſubdole commovebant, tit. C. *ſi min. maj. ſe dix.* Hinc in caſu ſubſtracto jusjurandum contractui adjectum nullum conſtituit novam obligationem, ſed generatim minoris *perfidia* & *dolus*, in quo verſatus eſt, effecit, ut deinde remedium reſtitutionis in integrum nullatenus arripere potuerit. 2°. Inſuper vero ea, quæ de jurejurando corporali in citata lege occurrunt, interpolationem produnt. Ævo enim Alexandrino talis notio incognita fuit, quæ poſtea demum inventa, ubi jurisjurandi præſtatio tactis S. S. Evangeliis aliiſve rebus ſacris fiebat. Verum quicquid ſit, etiam jusjurandum corporale adjectum nihil mutavit. Sive enim minor cautione ſimplici ſive jurata perfidiam & dolum commiſerit, utroque caſu ob malitiam, ætatem ſupplentem indignus erat legum beneficio. Ergo nulla nova obligatio aderat. Hinc minime etiam obſtant L. 3. C. *ſi min. ſe maj. dix.* verba: *Si tamen in inſtrumento per ſacramenti*

(2) *Nov.* 82. *c.* 11.

religionem majorem te eſſe aſſeveraſti, non ignorare debes, excluſum tibi eſſe in integrum reſtitutionis beneficium, niſi palam & evidenter ex inſtrumentorum probatione, non per teſtium depoſitiones, te fuiſſe minorem oſtenderis. Hujuſmodi autem ſacramento corporaliter præſtito, nullum tibi ſupereſſe auxilium, perſpicui juris eſt, ubi iterum minime de nova quadam minoris obligatione ſermo eſt, ſed id tantum aſſeritur, eum, qui jurato majorem ætatem affirmaverit, poſtea regulariter ad contrarii ſc. minoris ætatis probationem admitti non amplius poſſe.

§. LXXXIII.

Unicam jurisjurandi promiſſorii ſpeciem in cauſis privatis involvunt cautiones juratoriæ.

Ne tamen quidquam diſſimulem, inveni unicam fere ſpeciem jurisjurandi promiſſorii, inter Romanos legitime adhibiti, nempe *cautiones juratorias*, quibus tamen neutiquam novam introducere obligationem, ſed tantum in iis caſibus, ubi coactio & executio difficultatibus obnoxiæ eſſe poſſunt, illius conſcientiam, qui ipſo jure & promiſſo jam obligatus erat, ob defectum ſecuritatis realis arctius ſtringere voluerunt. Quod ſane reliquis Romanorum principiis de jurejurando promiſſorio haud repugnavit. Sic non

(1) L. fin. D. *Qui ſatisd. cog.*

ſolum in *negotiis extrajudicialibus* cautionem exigentibus juratoria nonnunquam in ſubſidium permiſſa fuit; ſed etiam in cauſis judicialibus jam antiquiori jure *cautio judicio ſiſti* juramento interdum præſtita eſt. Hinc jam Paulus ait: *qui jurato promiſit judicio ſiſti, non videtur pejeraſſe, ſi ex conceſſa cauſa hoc deſeruerit* (1). Imprimis vero Imperatores chriſtiani ſpeciatim Juſtinianus non ſolum quibuſdam *perſonis in dignitate conſtitutis* per modum privilegii cautionis realis neceſſitatem remiſerunt ac loco illius juratoriam conceſſerunt, ſed etiam *pauperibus*, fidejuſſorum facultate deſtitutis indulſerunt, ut cautionem in judicio ab ipſis exactam juramento præſtarent. Poſtquam enim generatim cautionis judicialis neceſſitatem & naturam definivit Juſtinianus, ſimul addidit eam ſanctionem: *ſi autem dixerit, non valere fidejuſſorem dare, tum apud judicem, a quo cauſa examinanda eſt, ſanctis propoſitis evangeliis per ſacramentum hoc ipſum affirmet &, ſic juratoriam cautionem exponat & per eam hæc, quæ ſuperius dicta ſunt, profiteatur* (2).

§. LXXXIV.

Uſus hujus doctrinæ hodiernus.

Eadem juris romani principia de juramento promiſſorio, quod ſcilicet illud novam

(2) *Nov.* 112. *c.* 2. *Auth. generaliter* C. *de Epiſc. & Cler.*

obligationem haud quaquam gignat, ac non niſi rariſſime ac in ſubſidium ob difficultatem aut impoſſibilitatem executionis a judice exſpectandæ concedendum ſit, hodienum applicanda, & obſcuris, contradictoriis, ſanæque rationi & publicæ ſaluti ſæpe adverſantibus *juris canonici* traditionibus, Doctorumque interpretationibus de nova, quæ effingitur, obligatione ex jurejurando oriunda longe præferenda eſſe, equidem contendo. Hinc generatim tenendum, juramentum promiſſorium ſemper naturam illius negotii, cui adjectum eſt, vinculi acceſſorii inſtar aſſumere, nullaque in cauſa novam obligationem introducere, aut pacta legibus invalida ſanare. Deinde cives, qui a ſe invicem in negotiis aut invalidis, aut etiam validis, ad quorum implementum judicis auxilium & executio facile exſpectari & impetrari potuit, tale jusjurandum exegerunt, ſuperfluum & temerarium illius uſum, religioni chriſtianæ & rationi adverſantem committere, qui prohibendus eſt. Tandem illud non quidem in vim novæ obligationis, ſed ut voluntas & conſcientia promittentis fortius conſtringatur, licite adhiberi, ſi nempe ob

(1) Leyſer ſp. 34. med. 2. Henr. Link *de jurat. caut.* Alt. 1691. Harprecht *de caut. jur. Diſſ. Vol. I. n. 6.* Si paupertas aut fidejuſſorum pignorumque deficiens facultas alio modo non ſatis demonſtrata eſt, ad eam afferendam & confirmandam cautio juratoria ſimul dirigitur, & vocatur *jusjurandum paupertatis*, quod eo caſu ſimul promiſſorii & ſup-

jurisdictionum diverſitates, ſingulares objectorum & obligationum qualitates, aliamve ob cauſam nullum aut ſaltem difficile tantum ac incertum auxilium a judice exſpectari poſſit. Igitur & hodie juſtæ eſſe poſſunt *cautiones juratoriæ* aut circa negotia *extrajudicialia*, quatenus ſua natura ſecuritatem exigunt, aut in *cauſis judicialibus*, in ſubſidium *ob defectum realis cautionis* præſtandæ. In pleriſque enim caſibus, ubi cautionem leges præſcribunt, quorum recenſio ad præſentem doctrinam non ſpectat, de tali reſtitutione rerum aliave ſecuritate in poſterum efficienda agitur, quæ innumeris debitoris fraudibus facile eludi poteſt, ubi igitur judicis auxilium, etiamſi ſtatim in promtu eſſet, impoſſibile aut inane ſaltem foret. Ideoque ſi realis ſecuritas deficit, ad conſcientiæ vinculum confugere debemus.

Admittuntur vero in ſubſidium cautiones juratoriæ non ſolum in *civilibus* cauſis (1) ſed etiam nonnunquam in *criminalibus*. Sic *cautiones accuſatoribus*, quatenus hodie tales exiſtunt, *fiſcalibus* exceptis, incumbentes interdum jurejurando præſtari poſſunt in ſubſidium, ſi cauſæ & perſonarum qualita-

---

pletorii naturam aſſumit. Conf. de uſu hujus jurisjurandi & formula in judiciis imperii. *Conc. Ord. Cam.* P. I. t. 31. 55. 96. *Receſſ. Dep. de* 1600. §. 8. *ſq.* Sam. Stryk *de juram. paupert.* Sam. Schulz *de pauperibus in Camera litigantibus.* Gieſſ. 1730. Tafinger *Inſt. Juriſpr. Cam.* §. 701. Illuſtr. Moſer *im Reichshofraths-Proceſs* P. IV. c. 6. p. 393.

tes id permittunt (1). Alias enim accuſatorem ob defectum fidejuſſorum carcere detinendum eſſe, leges præſcribunt (2). In iis delictis, ubi neque pœna capitalis neque corporalis gravior inſtat, judex tamen incarcerationem rei neceſſariam putavit, aut ubi etiam cum delicto graviori tales circumſtantiæ & rationes mitigantes concurrunt, ut pœnam illius ordinariam locum ſibi vindicare haud poſſe, mox appareat, a carcere interdum cautione & in ſubſidium juratoria quoque reus ſe liberare poteſt (3). Neque etiam *ſalvus conductus* a reo abſente impetratus *cautionem juratoriam* in ſubſidium ob defectum fidejuſſorum & pignorum præſtandam plane removet, quamvis omnes circumſtantiæ probe conſiderandæ ſint (4). Porro huc quoque referenda *cautio de non offendendo*, interdum *juramento*, vel *promiſſione ſtipulata manu* præſtanda, iterum non niſi in ſubſidium magna cum circumſpectione admittenda (5). Denique ad eam claſſem ſpectat *urpheda* ſeu jusjurandum, quod nonnunquam ab inquiſitione ſpeciali aut carcere liberatis imponitur de ſe non ulciſcendo, & relegatis, ſe præſcripto tempore territorium

---

(1) Bœhmer *med. ad* C. C. C. a. 12. §. 3. Quiſtorp *Grundſ. des teutſchen peinl. Rechts* §. 802.

(2) C. C. C. a. 12.

(3) Quiſtorp l. c. §. 645. Bœhmer l. c. a. 11. §. 4.

(4) Bœhmer *ad Carpz. qu.* 112. o. 11.

(5) Seb. Guazinus *de pace, treuga & cautione*

ipſis prohibitum non ingreſſuros (6). De hiſce vero jurisjurandi promiſſorii ſpeciebus generatim tenendum eſt, judicem quam maxime circumſpectum & cautum eſſe debere in iis admittendis, omneſque circumſtantias probe conſiderandas eſſe, ne ſuperfluum, inane aut temerarium juramentum præſtetur.

CAPUT VIII.

De fatis doctrinæ ſub Imperatoribus Romanis Chriſtianis.

§. LXXXV.

Obſervationes generales de effectu religionis chriſtianæ in juriſprudentiam romanam.

Dicendorum ordo orationem meam jam in eam juriſprudentiæ romanæ vertit periodum, ubi, quo triſtiori animi affectu in perverſis quibuſdam optimæ religionis ap-

de non offend. Georg. Hier. Koch *de caut. de non offend.* Erf. 1728. Bœhmer *med. ad a.* 176. cel. Puttmann *el. jur. crim.* §. 209.

(6) C. C. C. a. 108. 157. 161. 164. Henr. Gottl. Eilenſtein tr. *jur. crim. de jure circa urpbedam.* Ienæ 1754. add. Illuſtr. Meiſteri *Dec. cr.* l. *P. II. dec.* 66.

plicationibus a ſeculo obſcuro & corrupto factis ſortem humanam intuemur, eo dulciori animi commotione ingens providentiæ divinæ opus nos mirari neceſſe eſt, quod nobis tamen purum atque perennem divinæ veritatis fontem ſervaverit, ut hic remotis paſſim impedimentis rudioribus, ac errorum falſarumque interpretationum ſtragibus antea ſæpe objectis, liberius hodie ſcaturire poſſit. Ergo, ut ad iſtum reipublicæ romanæ ſtatum, quo *religio chriſtiana* publice recepta eſt, animum advertam, cum quævis religio in hominum mores & vitam civilem effectus ſuos exſerit, facile exiſtimandum, religionem etiam chriſtianam publice adoptatam varias mutationes in efformando jure civili gignere debuiſſe. Sequitur vero in tali hominum conditione religionis applicatio cognitionis gradum. Si hæc eſt juſto rudior & craſſior, idem vitium religioni quamvis puriſſimæ infert. Si accedit deſtinata malitia, aut affectuum libido, ſemper religionis tamen ſpecies ſolet adhiberi. Sic etiam in doctrina de jurejurando nonnulla emendata & correcta inveniuntur, ſed multa corruptæ plane interpretationis lapſu in deterius tranſverſa ſunt. Quamvis enim cum antiqui juris romani principiis, a ſana ratione parum recedentibus amice conciliari potuiſſent ſapientiſſima religionis chriſtianæ dogmata, ſi, reſecatis quibuſdam veterum Romanorum erroribus, quos doctrinæ de jurejurando Deorum multitudo, perverſæ de miraculoſa jurisjurandi vindicta opiniones, ac genera-

tim religionis rudioris ac ethnicæ cultus intulerant, in earum aberrationum locum ſubſtitutæ fuiſſent ſententiæ, unius verique Dei cognitioni, ſummæque reverentiæ, illi debitæ, convenientes, illud tamen ab Imperatoribus religioni chriſtianæ addictis, ſed perverſa & barbara ſacras litteras interpretandi ratione turbatis neglectum eſſe, eventus ſatis ſuperque docuit.

§. LXXXVI.

Inter effectus ſalutares referri poſſunt I. *Prohibitio jurisjurandi per creaturas, ac certior illius formula, quamvis nondum pura.* II. *Variæ emendationes in honorem jurisjurandi factæ.* III. *Perjuriorum coercitiones.*

Varios religionis chriſtianæ, qualem nempe Imperatores illius ævi eam concipiebant, effectus fuiſſe in doctrinam de jurejurando antea afferui. Inter ſalutares autem refero præcipue ſequentia.

I. Cum apud Romanos ſecundum priſtina religionis principia a libero partium arbitrio penderet, per quævis ſacra aliaſve res jurisjurandi formulam concipere, Imperatores chriſtiani ſenſim eam conſuetudinem coercuerunt. Imprimis autem Juſtinianus peculiari conſtitutione, ad quam illum verbis Matthæi c. V. v. 26. commotum eſſe probabile eſt, ſanxit, *ut abſtineant a verbis blaſphemis & non jurent per capillos, & caput & his proxima verba*, atque ſimul præcipit: *perma-*

nentes in prædictis illicitis & impiis actibus — *comprehendere & ultimis ſubdere ſuppliciis, ut non ex contemtu talium inveniatur & civitas & reſpublica per hos impios actus lædi* (1). Et quamvis eam conſtitutionem non tam purior veri Dei & religionis chriſtianæ cultus, quam potius cœcum quoddam imitationis ſtudium progenuiſſe videatur, quoniam etiam nova jurandi ratio, a Romanis religioni chriſtianæ addictis recepta, qua nempe præter eſſentialem Dei invocationem addebant: *ſanctam Dei genitricem & ſemper virginem Mariam* — *& ſanctos archangelos Michaelem & Gabrielem* &c. (2), iterum iterumque puriori religioni haud conveniebat; ea tamen mutatio certioribus atque determinatis jurandi formulis viam paravit, atque priſtinos & inanes verborum luſus, jurando commiſſos evertit.

II. Anxie quoque Imperatores chriſtiani, præcipue Juſtinianus laborare cœperunt, ut jurijurando ſummum honorem conciliarent, omneſque perjuriorum occaſiones præſcinderent. Qui labores a bona intentione profecti, quamvis non ſemper a ratione ad finem obtinendum prudenter directi fuerint, ſed, ut poſtea exemplis docebo, contrarium ſæpius effectum produxerint, non tamen ex omni parte fruſtranei atque inanes extiterunt, ſed in quibuſdam ſaltem capitibus doctrinam emendarunt. Quo profecto ſpectant conſtitutiones de revocatione jurisjurandi ob metum perjurii & retractatione cauſæ

(1) *Nov.* 77. *C.* 1. *c.* 7. 9. 10. *C.* 22. *qu.* 1.

ob probatum perjurium, aliæque ſuo loco explicatæ.

III. Denique, variæ perjuriorum antea impunitorum coercitiones, licet illæ ſimul ex aliis fontibus derivandæ ſint, religionis tamen chriſtianæ receptioni augmentum ſuum debuerunt.

§. LXXXVII.

Progenuit tamen etiam perverſa religionis chriſtianæ interpretatio & applicatio effectus quoſdam, rationi haud quaquam convenientes, quo pertinet I. *Virtus quædam phyſica, e jurejurando tactis S. S. Evangeliis & Reliquiis præſtito derivata.*

Progenuit vero ſimul perverſa religionis chriſtianæ interpretatio & applicatio effectus quoſdam, rationi ac puriori religionis indoli haud quaquam convenientes, quibus mirum in modum perturbata ac in barbaram faciem contorta eſt doctrina de jurejurando. Refero huc præcipue *virtutem* illam *phyſicam* & *myſticam*, ad veritatem eliciendam, uti putarunt, ſtimulantem, quam e jurejurando tactis *S. S. Evangeliis* aliiſve rebus ſacris præſtito, derivarunt. Sicuti enim veteres Romani jurisjurandi virtutem in miraculoſa Deorum vindicta unice poſuerunt, ita Romanorum chriſtianorum animi eo faciliores & promtiores erant in miraculis ubivis exqui-

(2) Nov. 8. app. t. 3.

rendis, quo magis ſeculo barbaro quævis myſtica religionis forma, in quam divinam purioremque Chriſti doctrinam mox tranſmutatam eſſe conſtat, grata & accepta erat. Hinc miracula ad quotidianum uſum taxerunt, eoque animi inertiam & ignaviam quovis modo promoverunt. Præſertim S. S. *Evangeliis aliisque rebus ſacris* virtutem phyſicam ſalubrem ineſſe putarunt, & qui ea tangeret & geſtaret, eum mala etiam naturalia & quaſvis corporis ægritudines præcavere, avertere atque ſanare crediderunt. Hinc etiam infimæ ſortis homines earum rerum particulas quaſdam, aut ſymbola ſive in collo ſive alia corporis parte circumtulerunt & quemvis miraculoſum effectum inde exſpectarunt (1). Acceſſerunt deinde notiſſimæ *Reliquiarum* traditiones, quibus neſcio, an ulla unquam ſuperſtitionis vis majori impetu velociorique progreſſu omnium animos, ſaniori humanitatis ſenſu fere exutos, invaſerit. Stupore enim quodam nos corripi neceſſe eſt, cum, qua ratione omnium mentes iſto reliquiarum metu trepidaverint, ex hiſtoriæ eccleſiaſticæ monumentis edocemur (2). Illarum enim ſalutari applicatione pluviam advocari, cœcorum oculis lumen reſtitui, morbos tam animi quam corporis ſanari, diaboli quibuſcunque moliminibus ob-

---

(1) Conf. Chryſoſtomus *Homil. c.* 19.

(2) Ven. Semleri *Comment. hiſtor. de antiquo chriſtianorum ſtatu*. Halæ 1771. T. I. p. 326.

viam iri, immo mortuos ſpiritum recipere, ſibi perſuaſit abjecta omnium credulitas. Ex iis vero omnibus jam facile intelligitur, cur juramentis tactu rerum ſacrarum ac S. S. Evangeliorum præſtitis vim quandam phyſicam tribuerint, atque illorum objectorum ſacrorum præſentia & virtute etiam occulta & ſecreta modo miraculoſo manifeſtari cenſuerint (3).

Ergo notabilia ſunt verba Imperatoris Juſtiniani ſancientis, *ut generaliter omnes omnino judices romani juris diſceptatores non aliter litium primordium accipiant*, niſi prius ante ſedem judicialem ſacroſanctæ deponantur ſcripturæ, & hæ permaneant non ſolum in principio litis, ſed etiam in omnibus cognitionibus uſque ad ipſum terminum & definitivæ ſententiæ recitationem. Sic etenim attendentes ad ſacroſanctas ſcripturas & Dei præſentia conſecrati *ex majori præſidio lites diriment, ſcituri, quod non magis alios judicant, quam ipſi judicantur, cum etiam ipſis magis, quam partibus judicium terribile eſt. Siquidem litigatores ſub hominibus, ipſi autem Deo Inſpectore adhibito cauſas proferunt trutinandas* (4).

---

(3) Auguſtinus *epiſt.* 76.
(4) L. 14. C. *de Jud.*

§. LXXXVIII.

II. *Intolerabilis juramentorum ſuperfluorum multiplicatio.*

II. Sub Imperatoribus chriſtianis præcipue Juſtiniano innumeræ *officialium* aliorumque *juramentorum* ſpecies paſſim inventæ ſunt, quorum cauſa genuina jam ex antecedentibus facile reddi poteſt. Nempe quoniam tam ſingulares de phyſica & miraculoſa jurisjurandi vi circumtulerunt ideas, ignoſcendum illis erat, ſi lapidem lydium, quo omnes homines ad officia rite perficienda atque veritatem revelandam adigi poſſint, ſe inveniſſe, crediderunt, ideoque, ad eum finem obtinendum ubivis jurisjurandi religionem applicarunt.

Promovit eam juramentorum multitudinem inſignis *Clericorum auctoritas*, qui primas Patrum, omnem fere jurisjurandi uſum reprobantium ſententias ad eumdem uſum reſtringendum in foro parum adhibuiſſe videntur, modo ipſi ob peculiarem ſanctitatem a jurandi coram laicis neceſſitate liberarentur. Iidem enim, qui data quavis occaſione maximo fervore in Judæos invecti ſunt,

(1) *Nov.* 79. *C.* 1. *&* 4. *Nov.* 83. *pr. Nov.* 123. *C.* 8. Conf. cel. Hebenſtreit *hiſt. juriſdict. eccleſiaſtica.*

(2) L. 8. D. *de epiſc. aud.*

ſunt, promtiſſimi tamen ſimul erant, quævis *Pontificum Leviticorum* jura ac emolumenta ſibi vindicare, precariaque primorum *antiſtitum* ceu arbitrorum jura in poteſtatem illimitatam transformare, quaſvis lites ſub diſciplinæ eccleſiaſticæ prætextu ad ſe trahere, eoque tandem notiſſimum juriſdictionis eccleſiaſticæ ſyſtema extruere. Eo autem *Clerici* a laicorum foris exemti erant (1), Laicis vero relinquebatur, quaſvis fere lites ad forum eccleſiaſticum deferre (2). Immo & , ſi laicus judex cuiquam ſuſpectus videbatur, hic, ut clericus in judicando ei adjungeretur, petere potuit (3). Verum, cum præcipue quoque cognitiones de jurejurando ad forum eccleſiaſticum devolvi cœperunt (4), jam ad multiplicatum juramentorum uſum clericos aliquid contribuiſſe omnino probabile mihi videtur.

Denique acceſſit magiſtratuum judicumque ignorantia & ignavia, qui, breviori & feliciori ſe lites haud expedituros eſſe modo, ſibi perſuaſerunt, quam adhibita jurisjurandi religione. Ex hiſce vero cauſis ingens juramentorum ab Imperatoribus chriſtianis introductorum numerus originem trahit. Nempe tactis S. S. Evangeliis jurare debebant 1°. omnes, qui ad *officium* & *adminiſ-*

---

(3) *Nov.* 86. *c.* 2.

(4) C. 3. *de foro comp. in 6to*, ubi cognitio fori eccleſiaſtici in cauſis jurisjurandi tanquam jus notorium & jam dudum ſtabilitum ſupponitur.

trationem publicam acceſſerunt (1). 2°. *Judices* (2) intuitu totius officii. 3°. *Tutores* & *Curatores* præter cautionem realem præſtandam (3). 4°. *Curatores furioſorum* (4). 5°. *Defenſores* incolarum & civitatum (5). 6°. *Cauſarum Patroni* in primordio cujuſcunque litis (6). 7°. *Ipſi litigatores* de calumnia (7).

CAPUT IX.

De origine & uſu jurisjurandi calumniæ.

§. LXXXIX.

Origo jurisjurandi calumniæ.

Præcipue ad perverſas illas jurisjurandi multiplicationes ſpectavit inventio *jurisjurandi calumniæ generalis*, tam a cauſarum patronis quam a quacunque parte ab initio cujuſcunque litis præſtandi, quo neſcio an unquam periculoſior jurisjurandi abuſus extiterit. Sunt quidem nonnulli, qui jam ante Juſtiniani tempora tale remedium *generale* ad præcavendas lites temerarias Romanis

(1) Formula exiſtit in Nov. 8. app. tit. 3.
(2) L. 14. C. *de Jud. Nov.* 49. *c.* 3.
(3) *Nov.* 72. *c.* 2. & 8.
(4) L. 27. C. *de Epiſc. & Cler.*
(5) *Nov.* 15. *c.* 1. §. 1.

affingere voluerunt (8): Sed jam dudum liberati ſunt Romani veteres a ſuſpicione inventionis, ſanæ rationi profecto haud honorificæ. Quæ enim inter eos inveniuntur veſtigia jurisjurandi calumniæ etiam in *cauſis civilibus* exacti, ea quam maxime *ſpecialia* ſunt. Scilicet in iis duntaxat cauſis, in quibus lex præſumebat faciles ad rixandum animos, vel ubi alias calumniandi & vexandi ſuſpicio facile incidebat, interdum permiſſum erat, jusjurandum calumniæ, ſed non niſi intuitu ſingulorum quorundam actuum exigere.

Eleganter id jam demonſtravit Binkeshoek Obſ. L. VII. c. 9. Exempla jurisjurandi calumniæ ſpecialis, veteribus Romanis in cauſis civilibus uſitati, ſequentia præcipue ſunt 1°. jusjurandum calumniæ a deferente jusjurandum exactum, L. 34. §. 4. D. *de jurej.* quod tamen ſupra ex alio fonte ſc. judicii divini indole explicavi. 2°. Jubetur jurare de calumnia, ne quis vexandi magis adverſarii cauſa forſitan, cum Romæ poſſit ſatisdare, in municipium alterum evocet, L. 8. §. 5. D. *qui ſatiſd. cog.* 3°. Ab adverſario argentarii exigitur jusjurandum, non calumniæ cauſa poſtulare, edi ſibi, ne forte vel ſupervacuas rationes, vel quas habet, edi

(6) L. 14. §. 1. C. *de Jud.*

(7) Tit. C. *de jurej. propter calumn. Nov.* 124. *c.* 1.

(8) Arg. L. 44. §. 4. D. *Fam. erciſc.* Cujacius *ad Nov.* 49. *in fin.*

F 2

ſibi poſtulet, vexandi argentarii cauſa L. *6.* §. 2. L. 9. §. 3. D. *de Edendo.* 4°. Qui petit, ut ſibi theſaurum ſuum, qui in alieno fundo eſt, effodere liceat, prius jurat, non calumniæ cauſa id poſtulare L. 15. D. *ad exhib.* 5°. Sic & nemo novum opus nunciat, vel cautionem damni infecti exigit, niſi prius de calumnia juret L. 5. §. 14. D. *de nov. op. nunc.* L. 13. §. 3. D. *de damno inf.* 6°. Creditoribus in poſſeſſionem miſſis ſingulis ſemel concedebatur rationum diſpunctio, ſi bis petant, non impetrabant, niſi jurent, non calumniæ cauſa ſe poſtulare L. 15. §. 1. D. *de rebus auct. jud. poſſid.* Præcipue ad eam claſſem quoque ſpectat, 7°. caſus legis 44. §. 4. D. *fam. erciſc.* ubi Paulus ait: *Qui familiæ erciſcundæ & communi dividundo & finium regundorum agunt, & actores ſunt & rei, & ideo jurare debent, non calumniæ cauſa litem intendere & non calumniæ cauſa ad inficias ire*, quibus verbis interpretes maxime turbati ſunt, jusjurandum calumniæ generale ibi ſuſpicantes aut ſaltem interpolationem Triboniani illis ineſſe putantes, conf. Wiſſenbach *in Embl. Trib.* §. 8. Sed facile ea interpolationis inculpatio removetur, ſi conſideramus, Pandectas 17. Cal. Jan. 533. Juſtiniani autem conſtitutiones de jurejurando calumniæ 4. Cal. Aug. 534. editas eſſe. Ergo cum poſterior conſtitutio tempore Pandectarum editarum nondum extitit, niſi Tribonianum prophetico ſpiritu futura prævidiſſe ſtatuere vellemus, illam in Pandectas transferre non potuit. Sed & aliunde ſalva res

eſt, nec caſus c. L. 44. quicquam ſimile cum juramento calumniæ generali habet, ſed ad ſpecialia tantum referendus eſt. Quamvis enim de utroque, *actore* & *reo* ad illud obligato, ſermo eſt, id tamen nos minime turbare debet. Nam in judiciis *mixtis uterque* reſpective *actoris* & *rei* vices gerit. Ergo, cum, *utrumque* jurare debere, aſſeritur, id tamen de diverſis objectis in judicio fam. erciſc. occurrentibus intelligendum eſt.

Generale vero in omnibus litibus ab utraque parte ad totám cauſam neceſſario præſtandum illis plane ignotum fuit, cujus inventionem ipſe Juſtinianus non ſine vanæ gloriolæ captatione ſibi vindicavit (1). Romanis enim veteribus alia plane atque ſaniora remedia, temerarias lites præcavendi erant in promtu. Nempe *Sacramentorum uſus.* Erat autem *Sacramentum*, quod a jurejurando probe ſecernendum eſt, certa pecuniæ ſumma, a litigantibus poſt editam actionem vi mutuæ ſponſionis in jure coram *Pratore* vel *judicio centumvirali* factæ apud Pontifices ita depoſita, ut illius, qui cauſa ceciderat, portio *Pontificum ærario* tanquam pœna cederet. Obtinuit vero tale Sacramentum in omnibus fere litibus tam ad actiones *perſonales* quam *reales* ſpectantibus, excepta tantum *vindiciarum lite.* Hac enim quærebatur tantum de poſſeſſione. At, qui tenebat poſſeſſionem, non dicebatur judicio viciſſe,

(1) L. 2. pr. C. *de jurejur. propter calumn.* §. 1. I. *de pœn. tem. lit.*

neque litis principalis aderat eventus (1).

Exoleſcente vero illa ſacramentorum depoſitione invaluit ſenſim alius, temerarios litigatores coercendi modus, nempe *decimæ litis ſponſio*, quæ interpoſita ſtipulatione ab actore fiebat. Eam temporibus Diocletiani & Maximiani obtinuiſſe (2), ſed ante Juſtinianum iterum deſiiſſe, patet ex mentione veteris *calumniæ actionis* in legibus Juſtinianeis occurrente (3).

Denique obtinuit *expenſarum reſtitutio*, ad quam ſuccumbens obligatus erat (4). Verum Imperator Juſtinianus hiſce coercitionum exemplis haud contentus, & omnes antecedentes ſapientia ſe ſuperare putans, litigantium temeritatem atque perditi ſeculi morbum univerſali medicina curari poſſe, ſibi perſuaſit, ſi introduceret jusjurandum *calumniæ generale* (5). Id vero præſtandum erat tam ab *actore* quam a *reo*, nec non *cauſarum patronis* (6); neceſſario, adeo ut ipſæ partes illud ſibi remittere haud potuerint (7); in quacunque lite (8); ſtatim poſt narrationem & reſponſionem (9); coram judi-

(1) Aſconius *ad orat. Cic. in Verrem.* L. I.

(2) L. 4. C. *de fr. & lit. exp.*

(3) §. 1. I. *de pœn. tem. lit.* L. 2. §. 8. C *de jurej. propter calumn.*

(4) L. 78. §. 2. *de leg.* 2. L. 13. §. 6. & L. 79. pr. D. *de jud.*

(5) §. 1. I. *de pœn. tem. lit.* L. 2. C. *de jurej. propter calumn. Nov.* 49. *c.* 3. *Nov.* 124. *c.* 1.

(6) L. 2. §. 2. C. *l. c. Nov.* 124. *c.* 1.

cibus, vel ſi in ſacroſancto conſiſtorio lites intromittantur, ſub præſentia ſacri ſenatus, vel ſi litigantes ob abſentiam, ſexum, aut dignitatem in loco conſueto comparere non poſſint, coram officiis ab adminiſtrantibus directis ad eos, vel judicibus provinciæ, præſente tamen adverſario (10), & quidem actor, ſe *non calumniandi animo litem moviſſe, ſed exiſtimando, bonam cauſam habere*, reus autem, *quod putans ſe bona inſtantia uti, ad reluctationem pervenerit*, quæ formula generalis deinde & ad eas litis partes, ubi jusjurandum calumniæ ſpeciale antea exigi potuit, extenſa eſt, quoniam ob generale præſtitum ſpecialia ceſſarunt (11). Tandem vero, cum jam omnia etiam recondita malitiæ ſemina eo modo ſe exſtirpaturum eſſe putat, in ſingularem plane gaudii affectum erumpit Juſtinianus: *ſic enim non lites ſolum ſed etiam calumniatores minuentur. Sic pro judiciis putabunt ſeſe homines in ſacrariis ſiſti. Si enim & ipſæ principales litigantium partes per juramentum lites exerceant & cauſarum patroni præbeant ſacramentum & ipſi judices propo-*

---

(7) L. 2. §. 4. C. l. c. ubi omnis remiſſionis facultas expreſſe negatur.

(8) L. 1. pr. C. l. c.

(9) L. 2. pr. C. l. c.

(10) L. 2. §. 1. & 3. C. l. c. *Nov.* 124. *c.* 1.

(11) L. 2. pr. C. l. c. *quæ formula deinde ad alia adhuc capita extenſa eſt. Nov.* 49. *c.* 3. *Nov.* 124. *c.* 1.

ſitis SS. ſcripturis tam cauſæ totius faciant examinationem, quam ſuum proferant arbitrium, quid aliud, niſi pro hominibus Deum in omnibus cauſis judicem eſſe credendum eſt. *Antiqua itaque calumnia quieſcente & ejus ambagibus, conſtitutio noſtra dilucida &* compendioſa *in terris clareat omnibus & ſit maximum dirimendarum cauſarum remedium* (1). Ex iis igitur perſpicuum eſt, Imperatorem ſibi judicium divinum ab hominibus exercendum repræſentaſſe, modo plane ſingulari, atque, ſi omnes cum tractandis & diſcutiendis litibus occupati *judices*, *partes*, *advocati* &c. jurejurando obſtricti fuerint, eoſdem ſpiritu quaſi divino inflatos, & agitatos controverſias finituros, atque veritatem revelaturos eſſe, ſibi perſuaſiſſe.

§. X C.

De uſu hodierno jurisjurandi calumniæ.

Pleraque conſtitutionis Juſtinianeæ antea explicatæ capita poſtea etiam in *libros Decretales* migrarunt (2), atque cognitis in Germania juris peregrini principiis, ut Ger-

(1) L. 2. §. 8. C l. 2.

(2) *De juram. calumniæ*, *Decretal.* L. II. t. 7. *Sexti Decret.* L. II. t. 4.

(3) *Conc. ord. cam.* P. III. t. 38. §. 15. Formula qua procuratores in propriam & principalium animam jurant, exiſtit.

(4) C. 2. *de jur. cal. in 6to. Rec. Imp. cit.* §. 41,

mani bona & mala mixtim adoptare cœperunt, maxima cum aviditate legibus tam *imperii*, quam *provincialibus* inſerta ſunt (3). Receſſerunt tamen *canones* & *leges imperii* quodammodo a tenore conſtitutionis *Juſtinianeæ*, in aliis vero capitibus eam ſuppleverunt. Sic permittunt jusjurandum calumniæ etiam per procuratores præſtare ſatis inſtructos. Neceſſitatem abſolutam, illud in omnibus litibus exigendi, quod Juſtinianus præſcripſit, haud inferunt, ſed tum demum, cum aut alterutra pars aut judex ex officio illud exegerit, id ſubeundum eſſe, jubent. Præſtito licet generali, facultas tamen jusjurandum calumniæ ſpeciale poſtea exigendi non plane excluſa videtur (4). Non ſolum ſtatim poſt litis conteſtationem ſed & poſtea in quamvis judicii parte illud permittunt (5). Liberant tamen ab eo conſiliarios actuales Electorum Statuumque reliquorum, juramento officiali obſtrictos in cauſis dominorum (6), a quo tamen tum recedendum atque & ejuſmodi perſonis, quavis officii neceſſitate obſtrictis jusjurandum calumniæ imponendum eſſe, *alii* cenſent, ſi ſuſpiciones malitiæ ſpeciales emergant (7).

& 43. Bœhmer I. E. I. P. II. t. 5. §. 2. ſq.

(5) *Rec. Imp.* cit. §. 43. *C. 6. X. de jur. cal.* Tafinger *Inſt. juriſpr. cam.* §. 807.

(6) *Rec. Imp.* cit. §. 43.

(7) Leyſer ſp. 140. Georg. Henr. Ayrer *de neceſſitate officii a juramento calumniæ non liberante*, Gœt. 1747.

Quicquid ſit, tota Juſtiniani conſtitutio & doctrina de jurejurando calumniæ generali a manifeſtiſſimo errore & craſſa illius ævi ignorantia promanavit, ut ſupra plenius docui. Hinc, quoniam illius uſu ingenti perjuriorum turpiſſimorum, quorum pleraque ante jam præviderì poſſunt, numero via paratur, nos vero ad talia juris peregrini in ſubſidium recepti capita haud obligati ſumus, quæ manifeſtis erroribus ſuperſtructa ſanæ rationi, religioni puriori & conſcientiæ adverſantur; jusjurandum calumniæ generale hodie recte rejicitur (1). Ideoque non ſolum Doctores *Saxonici* de non uſu illius teſtantur (2),

(1) Antiqui jam queruntur de lubricitate & vanitate hujus juramenti. Stryk l. c. præcipue Rochus Frid. Comes Linariæ l. c. §. 1. ſq. Ayrer *de abuſu jur.* §. 55. & recentiores omnes. De ejuſdem uſu vitando & reſtringendo conf. etiam ill. Putterus *in den auſerleſenen Rechtsfällen T. I. reſp.* 156.

(2) Conf. Werneri Theodoſi Martini *Oratio, qua duplex quæſtio juris reſolvitur*, 1°. *num jus Saxonicum recte dicitur a Colero dec.* 117. *omni carere ratione, vel etiam a Henningo Goeden gloſſa ejus jure meritoque vocari poſſit diabolica, quod in illis juramentum calumniæ generale in deſuetudinem abiiſſe affirmatur.* 2°. *num Doctores juris legitime promoti in academiis & juramento doctorali jam obligati ad juſtitiam, denuo in judiciis ſint juramento calumniæ gravandi, ſi vel advocatorum vel procuratorum munere fungantur,* Vit. 1676.

(3) Seyfarts *teutſcher Reichſproceß* c. XV. §. 48. Hinc non ſine ratione ill. Claproth in aureo libro nuper edito *Einleitung in den ordentl. bürgerl.*

ſed & in aliis judiciis rariſſimum ejus uſum, aut ubi viget, tollendum eſſe recte cenſent omnes cordatiores ICti (3).

Frequentiora adhuc ſunt in Praxi jurisjurandi calumniæ ſpecialis exempla, inter quæ præcipue eminent jusjurandum calumniæ ab eo præſtandum, qui probaturus, *tertiam dilationem* petit (4); jusjurandum calumniæ ab eo exigi ſolitum, qui lapſis fatalibus aut poſt rem judicatam ob *novas probationes*, quarum antea cognitionem aut facultatem non habuit, reſtitutionem in integrum petit (5); juramentum calumniæ *deferenti jusjurandum* incumbens (§. 34.); jus-

---

Proceſs eam doctrinam de juramento calumniæ generali fere prætermiſit.

(4) Nov. 90. c. 4. *cap. pen. X. de teſtibus*, ubi in quarta dilatione jusjurandum calumniæ præſcribitur. Quæ leges quamvis de alia plane re, nempe de diverſis probationibus & teſtium productionibus loquantur, migrarunt tamen in leges Imperii, *C. O. C. P. III. t.* 21. §. 5. uſque dum *Rec. Imp. nov.* §. 50. jam in *tertia* dilatione *ſolemnia*, inter quæ & jusjurandum calumniæ pertinet, præſcripta ſunt, Tafinger l. c. §. 814.

(5) De juramento hoc in *Camera* imp. offerendo & quidem a procuratoribus in propriam ac principalium animam v. *decretum commune de* 7. *Jul.* 1669. 7. *Jul.* 1671. cui & formula mandati ſpecialis ſubjuncta, approbata in decreto viſit. de 27. Nov. 1713. Varii abuſus hujus juramenti prohibiti ſunt *decreto comm. de* 4. *Apr.* 1721. & 9. *Febr.* 1733. Haſe *de reſtitutione in integrum adverſus ſententias ſummorum Imperii dicaſt.* Gieſſæ 1743 *p.* 69. *ſq.*

jurandum calumniæ, quo *appellans* ſeſe de frivolo animo purgare debet (1); juramentum calumniæ ab eo, qui *reviſionem* ſententiæ petit, præſtandum (2). Sed optandum eſſet, ut & ea juramenta calumniæ ſpecialia, paſſim obvia, quæ plerumque ſuperflua plane ſunt, nil juvant, & lites protrahunt, ubi recepta ac in uſu ſunt, magis magiſque reſtringerentur & evitarentur, ſicuti jam in variis Germaniæ provinciis eam felicem ætatem apparuiſſe conſtat.

---

conf. etiam Rivinus *de juramento documentor. noviter repertorum.* Lipſ. 1749.

(1) *Rec. Imp. nov. de* 1654. §. 117 & 118.

(2) *Rec. dep.* de 1600. §. 145. *Rec. Imp.* de 1654. §. 125. Gotfr. Dan. Hoffmann *de juramento reviſorio camerali.* Tub. 1769.

CAPUT X.

De forma jurisjurandi inter Romanos poſt receptam religionem chriſtianam, ejuſque uſu hodierno.

§. XCI.

De jurejurando etiam per Sanctos & tactis S. S. Evangeliis præſtito.

INtroducta ab Imperatoribus Romanis religione chriſtiana, antiquas jurandi formas, pro libero partium arbitrio antea ad quævis ſacra, quorum ingentem numerum fuiſſe docui, directas ſenſim exſtirpatas eſſe, conſtat. Quod quidem inter effectus religionis chriſtianæ ſalutares referri poteſt, tantum vero non effecit, ut certior jam formula, quæ præcipue ab Imperatore Juſtiniano præſcripta, ſimul & puriori religioni omni ex parte accommodata fuerit. Voluit enim, jurari ſequenti modo: *per Deum omnipotentem & filium ejus unigenitum, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & Spiritum Sanctum & per ſanctam glorioſam Dei genitricem & ſemper virginem Mariam, & per quatuor Evangelia, quæ in manibus meis teneo, & per ſanctos Archangelos Michaelem & Gabrielem &c.* (1) quæ formula

(1) Nov. 8. app. tit. 3.

terminis ſuperfluis & æquivocis, cum eſſentia jurisjurandi pugnantibus, laborat & perquam vitioſa eſt, quoniam nulla alia ratione quam per unicum ac verum Deum, qua ſola invocatione omne, quicquid ſanctiſſimi efficaciſſimique cogitari poteſt, comprehendimus, jurare nos decet (1). Quod ad reliquos ritus attinet, ut ſatis ſuperque jam demonſtravi, quævis juramenta, tactis præcipue S. S. Evangeliis, unde virtus quædam miraculoſa derivata eſt, præſtari debuerunt, & in ſpecie *corporalia* dicta ſunt.

Prima hujus ritus origo non ſine probabili ratione a Judæis derivatur, quorum innumeras ceremonias etiam a Chriſtianis ſollicite cuſtoditas & a nova quoque eccleſia adoptatas eſſe, ab aliis jam ſatis demonſtratum eſt (2). Quoniam vero teſte Maimonide etiam Judæi jurantes librum legis manu ſua tenere debuerunt (3), facilius nunc explicari poteſt, cur & Chriſtiani eandem conſuetudinem ſolemnem habuerint & ad S. S. Evangelia, aliaſve res ſacras applicaverint.

---

(1) Chr. Henr. Zeibich *de juramento per Dei genitricem & Sanctos reliquos minime præſtando.* Vit. 1739.

(2) Rhoer *de effectu relig. chriſt. in juriſprud. Diſſ. IIda.*

(3) Maimonides *de jurej.* c. 11. §. 2. Gundling *vom Urſprung des cörperlichen Schwörens. Gundling.* P. IV. n. 2.

(4) *Nov.* 123. *c.* 7. *c. ult.* X. *de jurejur. calumn.*

Liberi tamen erant ab eo tactu corporali ac præſentibus tantum propoſitiſque ſacroſanctis Evangeliis jurare debuerunt, *Clerici* majorum ordinum, *Epiſcopi* præcipue, qui S. S. Evangelia corde animoque tenere putabantur (4); uti quibuſdam videtur, *Fœminæ*, cujus rationem in eo quærunt, quod illæ apud Judæos Synagogis haud interfuerint, ideoque & jurantes libros legum tangere haud debuerint, unde eadem conſuetudo ad Chriſtianos tranſierit (5).

§. XCII.

Eadem jurandi conſuetudo etiam ad Germanos translata. Frequentius tamen per reliquias Sanctorum aut ad eorum tumulos jurarunt.

Eadem jurandi conſuetudo *tactu S. S. Evangeliorum*, ſicuti per totum orbem chriſtianum propagata eſt, etiam ad Germanos mox tranſiit, quos antiquis jam temporibus *tactis S. S. Evangeliis* (6), aut *Altari-*

Gundling *vom Eidſchwur der Geiſtlichen* l. c. P. IV. n. 1.

(5) Non tamen quadrat ulterior ratio Gundlingii, quod nempe fœminæ ſemper Evangelii particulam e collo ſuſpenſam ubivis circumtulerint, ideoque peculiari tactu opus haud fuerit, Chryſoſtomus *Homil. c.* 19.

(6) Georgiſch *corp. jur. germ.* p. 1014. *Si qualiſcunque cauſa inter homines liberos evenerit &*

bus (1), quibus ea impoſita erant, juraſſe conſtat. Multo tamen frequentior inter eos fuit juramentum ſuper *reliquiis ſanctorum*, aut ad *tumulos ſanctorum* præſtandi modus. *Majores* enim noſtri *mortuis* maximos ſemper honores exhibuere, jam antea etiam, quam religionis chriſtianæ cognitione imbuti ſunt. Hinc mortuis, in *Valhallam* migrantibus, & vitam huic quodammodo ſimilem ſed ſuperiorem tamen agentibus chariſſima quævis arma & inſtrumenta tradiderunt.

ſacramentum dandum fuerit, ſi uſque ad XX. ſolidos fuerit cauſa ipſa aut amplius, ad Evangelia ſancta juret cum XII. aliis ſuis i. e. ſacramentalibus. Innumera exempla v. apud Du Freſne *Gloſſario voce jurare ſuper textum S. S. Evang.* De Weſtphalen *monum. ined. rer. germ.* T. II. p. 181.

(1) Du Freſne l. c. voce *juramentum ſuper Altar.*

(2) Loca huc ſpectantia inſigni cum induſtria exhibet Ven. Gottfr. Schütze *in den Schutzſchriften für die alten teutſchen und nordiſchen Völker I. B. Leipzig* 1773. p. 143. 147. 472. 488. Cel. Frid. Chriſt. Jonathan Fiſcher *Verſuch über die Geſchichte der teutſchen Erbfolge.* Mannheim 1778. p. 57.

(3) Plena ſunt hiſce viſionibus notiſſima Oſſiani carmina. conf. etiam Schütz l. c. p. 237. ſq.

(4) Schütz l. c. p. 244.

(5) Verelius *ad Hervar Saga* c. 7. p. 97. *Carminibus & incantamentis evocari mortuorum manes veteribus non perſuaſum tantum ſed & exploratum.*

runt (2). Cum eorum animis geniiſque, quibus hominum viventium fata dirigi flectique crediderunt, nonnunquam converſari ſibi viſi ſunt (3). Eorum oracula & conſilia in rebus dubiis expetierunt atque de futuris conſuluerunt (4) carminibuſque mortuorum manes evocarunt (5). Denique per eoſdem vota ſolemnia ac juramenta nuncuparunt, quo pertinet præter notiſſimas armorum aliarumque rerum invocationes alibi explicandas jusjurandum per *lapides* ſive *memoriam mortuorum* (6). Talis autem animi diſ-

---

Dicta fuit iſta veſania Galldur, *incantatio ſeu imprecatio dira carmine & cantu prolata.* Bartholinus *Ant. Dan.* L. III. c. 2.

(6) Jo. Ericus *de nom. propriis Island.* p. 67. *Lapides in juramentis adhibitos atque adeo jurisjurandi religione ſanctos fuiſſe* Godrunor *quidam teſtatur, ubi* Godruna *Genci filia conjugalis amoris & conſuetudinis in alios non ſparſæ fidem hoc juramenti purgatorii genere Atlio ſe facturam promittit : de his omnibus tibi juramentum præſtabo ad album illum ſanctum lapidem.* Conf. de Weſtphalen *l. c. P. IV. p.* 164. Turpiter autem in veterum Germanorum ingenium graſſati ſunt, qui eoſdem tanquam Deos lapides coluiſſe, ideoque eo modo juraſſe putarunt. Mortuorum enim ſub lapidibus ſepulcrorum Manes tantum ſanctitate quadam coluiſſe, atque, per eos interdum juraſſe facile perſpicitur. Illuſtris Dreyer *von dem Nuzen der heydniſchen Gotteſgelahrtheit in Erklärung der teutſchen Rechte* §. 16. *in der Sammlung vermiſchter Abhandlungen* p. 894. Schütz l. c. p. 246.

poſitio aptiſſima erat, ut recepta religione chriſtiana, (ſi inanes ac fatuas quaſdam converſorum illius temporis traditiones eo referre fas eſt) quævis figmenta de Sanctorum ac Reliquiarum virtute phyſica miraculoſa, ſanandis quibuſcunque vitiis animi & corporis idonea facillime intrarent, eorumque aſpectu omnium animi trepidarent. Hinc vero ſimul perſpicuum eſt, cur illis

(1) Hinc forte reliquias adibant. *Lex Friſonum t.* 14. §. 1. Tum ducendi ſunt ad Baſilicam, & ſortes ſuper Altare mittere debent, vel ſi juxta eccleſiam fieri non potuerit, ſuper *reliquias ſanctorum.* Quæ ſortes tales eſſe debent. Duo tali de virga præciſa, quos Tenos vocant, quorum unus ſigno crucis dignoſcitur, alius purus dimittitur, & lana pura obvoluti ſuper Altare ſeu reliquias mittuntur, & Presbyter ſi adfuerit, vel ſi Presbyter deeſt, puer quilibet innocens unum de ipſis ſortibus de Altari tollere debet, & interim Deus exorandus, ſi illi ſeptem, qui de homicidio commiſſo juraverunt, verum juraſſent, evidenti ſigno oſtendat. Si illum, qui cruce ſignatus eſt, ſuſtulerit, innocentes erunt, qui juraverunt, ſi vero alterum ſuſtulit, tunc unuſquiſque illorum ſeptem faciat ſuam ſortem, i. e. tenum de virga & ſignet ſigno ſuo, ut eum tam ille, quam cæteri, qui circumſtant, cognoſcere poſſint & obvolvant lana munda & Altari ſeu reliquiis imponantur & Presbyter, ſi adfuerit, ſi vero non, ut ſuperius, puer innocens unumquemque illorum ſigillatim de Altari tollat & ei, qui ſuam ſortem eſſe cognoverit, tradat. Cujus ſortem extremam eſſe contigerit, ille homicidii compoſitionem perſolvere co-

adhibitis quævis arcana perſcrutari ſe poſſe (1), veritatemque infaillibili Dei judicio aperiri putaverint, quoniam jurantes aut *influxu* quodam *phyſico* ad veritatem revelandam cogerentur (2), aut etiam pejerantes *pœnis horribilibus in inſtanti* afficerentur, a dæmonibus arriperentur &c. (3). Inde vero ingens ille juramentorum per reliquias ſanctorum (4) aut ſuper tumulis marty-

gatur, cæteris, quorum ſortes prius levatæ fuerint, abſolutis.

(2) Auguſtinus *epiſt.* 76. Nos novimus Mediolani apud memoriam Sanctorum, ubi mirabiliter & terribiliter dæmones confitentur, furem quendam, quia ad ejus locum venerat ut falſum jurando deciperet, compulſum fuiſſe confiteri furtum & quod abſtulerat reddere.

(3) Sic in *Concilio Meldenſi de a.* 845. c. 39. apud Harduinum *Conc.* T. IV. p. 1489. Patres ita tradiderunt: *Tantum namque hoc malum* (perjurium) *eſt, ut ad ſanctuaria Martyrum, ubi diverſorum ægritudines ſanantur, ibi perjuri, licet manifeſte interdum vexari non videantur, juſto Dei judicio a Dæmonibus arripiantur, ſicut S. dicit* Gregorius: *ad horum corpora ægri veniunt & ſanantur: dæmoniaci veniunt & a dæmonio vexantur. Plura exempla* vid. apud J. H. Bœhmerum *de uſu juramenti purgatorii in criminalibus* §. 13. *Exercit. ad Pand.* T. III. p. 48.

(4) Antiquis jam temporibus etiam inter populos ſeptentrionales veſtigia occurrunt. Vid. *Jus aulicum antiquum Norvagicum* Hirdskraa *nominatum, editum cura* Petri Joannis Reſenii *ex verſione & cum notis* Joan. Dolmeri *Hafniæ* 1673.

rum (1) præſtitorum numerus originem trahit, cum formula *ad Deum & Sanctos jurare* (*zu Gott und den Heiligen ſchwöhren*) (2). Quæ conſuetudo ultra ſeculum XVtum

---

p. 413. *in notis: plures erant* Norvagis *Reliquiæ, nempe in cruce tantæ molis & magnitudinis, ut vix a tribus robore præſtantibus viris elevari poſſet. In ea cruce incluſum erat lignum Domini ceu fruſtulum ex ea cruce, in qua Chriſtus perpenderat.* — *Reliquiæ erant ſcrinium* D. Olai *Regis, in quo corpus ejus repoſitum erat, quod filius ejus Rex magnus ex puro argento confici curaverat, & duabus aliis ciſtis ligneis circumdari, quæ quoque auro & argento, gemmiſque pretioſiſſimis diſtincta fuere. Hujus ſcrinii tam grave pondus erat, ut a ſexaginta viris in ſolemnitate inaugurationis deduceretur, & tam eximiæ opinio ſanctitatis ejus, ut Sacramentum dicturi Regi manus ei imponerent. Præter hoc ſcrinium duo alia erant D. Suniva Bergis & D. Halvardi Opsloa, quæ quoque Regibus præferebantur, ſi quando inauguratio ibidem celebraretur, quod Chronicon vernaculum Snorronis* p. 422 & 607. *docet.* In Germania exemplum præ reliquis conſpicuum eſt in *Annal. Franc. de a.* 757. in Marquardi Freheri *ſcript. rerum germ.* Tom. I. ibi: "Illuc (ad Palatium Compendienſe) & Taſſilo Dux Bojoariorum cum primoribus ſuæ gentis venit & more Francorum in manus Regis in Vaſſaticum manibus ſuis ſemet ipſum commendavit, fidelitatemque ipſi Regi Pipino quam filiis ejus Carolo & Carolomanno jurejurando ſupra corpus Dionyſii, Sancti Martini, & Sancti Germani ſimili Sacramento fidem ſe prædictis Dominis, diebus vitæ ſuæ ſervaturum, eſt pollicitus.

maximo fervore continuata eſt. Cæterum inter Germanos etiam *fœminæ* pectori manum admoventes liberæ erant a tactu rerum ſacrarum (3). Quod etiam *Clerici*

---

(1) Gregorius Turonenſis *de miraculis* L. II. c. 19. uſque quo uterque contendimus ſub, judicio omnipotentis Dei ponamus. Eamus ad tumulum martyris, & quod ſacramenti interpoſitione dixeris, diſcernat virtus ſancti Patroni.

(2) Chriſt. Gotl. Buder *de juramentis ad Reliquias Sanctorum & illuſtratio formulæ jurandi:* Ita me Deus & Sancti juvent (*Als mir Gott helfe und ſeine Heiligen*); *in Obſ. & opuſc.* Ienæ 1756. *n.* 7.

(3) *Lex Alamann. tit.* 56. *a.* 2. *apud* Georgiſch p. 220. " Si autem ipſa fœmina dixerit, maritus meus dedit mihi Morgangeba, computet, quantum valet aut in auro aut in argento aut in mancipiis aut in equo pecuniam duodecim ſolidos valentem. Tunc liceat illi mulieri jurare *per pectus ſuum* & dicat, quod maritus meus mihi dedit in poteſtate & ego poſſidere debeo — ". Iiſdem etiam acceſſus ad Altare prohibitus fuit. *Capit.* L. VII. c. 190. & 248. Georgiſch p. 1657. & 1672. Kopp *von den geiſtlichen Gerichten in Heſſen P. I.* §. 369. 371. Eam *fœminarum* conſuetudinem antiquiſſimis jam temporibus etiam ante religionem chriſtianam receptam inter Germanos obtinuiſſe putat cel. Car. Ferd. Hommel *de jure can. & feod. ex germ. leg. explicando p.* 13. quoniam ritus, *armorum tactu* jurandi, tum maxime ſolemnis, a fœminis non potuerit adhiberi, unde eandem rationem & ad *Clericos* applicat.

quamvis non ſine contradictione ſibi vindicarunt.

§. XCIII.

De hodierna juramenti forma & ritibus.

Sed maxime perturbavit eos ſuperſtitionis circulos liberior Lutheri doctrina. Hinc poſt *Reformationem* Religionis *Proteſtantes* imprimis in *Camera* imperiali *jurantes*, per *Sanctos* jurare plane recuſarunt. Inde vero ſimul variæ coortæ ſunt controverſiæ, eo modo tandem tranſactione Paſſavienſi de 1552. & Receſſu imperii de 1555. finitæ, ut in poſterum ſub communi formula : *ita me Deus juvet & ſanctum ejus Evangelium*, (*ſo wahr mir Gott helfe und ſein heiliges Evangelium*) juraretur, qua forma & hodie tam *Pontificii*, quam *Proteſtantes* tanquam communi utuntur, niſi quod poſteriores in quibuſdam provinciis omiſſa Evangelii mentione Deum

(1) Notiſſimum eſt jusjurandum a Vaſallis Imperii etiam in inveſtituris ſolemnibus coram Imperatore in ſolio ſedente peragendis, *S. S. Evangeliorum libro*, *digitis tacto*, præſtandum, ill. Moſer *Reichshofrathsproc.* T. IV. c. 5. §. 23 ſq. Stryk l. c. De eo ritu etiam alias a proteſtantibus obſervato V. Stryk l. c. n. 26. Ludovici l. c. c. 1. §. 18. c. 2. §. 15. ſq. Dubitatum quidem olim, num ille ritus Evangelia tangendi a *Proteſtantibus* ſalva conſcientia obſervari poſſit, præcipue a Donello *Comment.*

ſolum nominent: *Ita me Deus juvet*, aut: *Ita me Deus juvet & verbum ejus ſanctum.* (*So wahr mir Gott helffe*, aut: *So wahr mir Gott helffe und ſein heiliges Wort*). Neque etiam magna diſputatione de formulis hiſce hodie receptis opus eſt. Sive enim vocabulum Evangelii adjiciatur, ſive non, utroque tamen caſu ſolummodo per unicum ac verum Deum juramus, illo autem vocabulo inſuper adjecto jurisjurandi poteſtati nec additur nec detrahitur quicquam.

Quod denique ad reliquos ritus adtinet, qui, etiamſi ſuperflui videantur, & ad eſſentiam jurisjurandi haud ſpectent, pro imbecilliori tamen hominum, ubique ſymbola externa efflagitantium, indole evitari non poſſunt, hodie etiam non tantum a *Pontificiis* ſed & a *Proteſtantibus* nonnunquam *S. S. Evangelia* digitis tanguntur (1). Sed frequentior eſt, ſaltim inter Proteſtantes, jurandi ritus, qui peragitur porrectis duobus aut, ut hodie plerumque fit, *tribus dextræ digitis* nempe *pollice*, *indice* & *medio*, re-

---

L. XXI. c. 13. *lit.* B. Sed facilis eſt reſponſio. Nempe ſi generatim rationi non adverſatur, ritus quoſdam externos in jurando adhiberi, ut illis ſenſus eo fortius concutiantur & feriantur, tum etiam ritus S. S. Evangelia, quibus verbum Dei continetur, tangendi in ſignum jurisjurandi ſerio præſtiti, conſcientiæ maculam inſpergere haud poteſt, ſi nempe reliquæ ſuperſtitioſæ opiniones & formulæ olim conjunctæ abſunt. Conf. Ludovici l. c. c. 2. §. 16 ſq.

liquis autem contractis (1). *Fœminæ* vero jurantes etiam hodie eoſdem digitos pectori admovere ſolent (2). Quam diverſitatem *Clerici* quoque regulariter prætendunt.

§. XCIV.

De jurejurando per procuratorem ejuſque uſu hodierno.

Difficilis videtur quæſtio, hactenus nondum ſatis enodata, qua ratione inter Romanos jusjurandum nomine alterius præſtari potuerit. Plerique de Romanis veteribus negant facultatem juramentum per procuratorem præſtandi, ex ea potiſſimum ratione, quod antiquitus nemo per alium in judicio comparere actumve huc ſpectantem ſuſcipere potuerit. Unde etiam de Romanis recentioribus, poſtquam tandem procuratores in

(1) Stryk l. c. n. 39. ubi ſimul ritus illius rationem reddit, ſequenti modo: *quo ipſo* (ſc. erectione trium digitorum) *S. S. Trinitatem deſignari dicunt, reliquis duobus vero compreſſis corpus & animam hominis, quaſi dicere videatur: ſi ſciens fallo S. S. Trias a communione omnium Sanctorum me excludat corpore & anima.* Mitto equidem in derivationem & rationabilitatem hujus ritus ulterius inquirere. Conf. Claproth l. c. §. 281. *not.* a. Mihi enim ſufficit, manuum elevationem, ſerium affectum indicantem, veteribus etiam precantibus & jurantibus interdum ſolemnem, eam ſolam ob rationem tolerari poſſe, quod provocatio ad verum

judiciis admiſſi fuerint, eam quæſtionem affirmant, & jusjurandum per procuratorem præſtare licuiſſe ob fictum litis dominium, in huncce tranſlatum contendunt variis legum exemplis commoti (3). Sed, niſi omnia me fallunt, errarunt & genuinum quæſtionis ſtatum nondum ſatis fixerunt. Nempe maxima diverſitas intercedit inter jusjurandum a procuratore in *propriam* aut in *Principalis animam* præſtitum. Jusjurandum in *alterius animam* Romani tam antiqui, quam recentiores plane ignorarunt. Neque modus jurandi tam artificialis, a pura ac ſimplici ratione abhorrens, ab illis exſpectandus eſt. Sed in *propriam animam Tutores, Curatores*, & *Procuratores* ſæpe jurarunt etiam in cauſa aliena. Nempe, ut ſupra jam docui (§. 42.) de factis propriis obligati erant jurare; de cæteris jurabant, ſi ſponte tantam affectionem Domino præſtare voluerunt

---

Deum ſigno quodam externo indicetur, & eo magis indubia reddatur. Reliqua de ritibus jurisjurandi ad conſuetudines provinciales pertinent & heic recenſeri non poſſunt. Sic & in quibuſdam locis adhuc receptum eſt, ut, antequam ſolemnis jurisjurandi formula pronuncietur, *baculus judicialis* (*der Gerichts-Staab*) digitis tangatur. Conf. Heineccius *El. jur. germ.* L. III. §. 220 ſq. Ludovici l. c. per tot.

(2) Stryk l. c. n. 41. Ludovici l. c. c. 1. §. 24. Claproth l. c. §. 281.

(3) L. 9. §. 6. L. 42. §. 2. D. *de jurejur.*

& deferens contentus erat. Quod Romanorum ſyſtemati de pacto jurisjurandi ſupra ſatis ſuperque explicato quidem conveniebat, hodie vero neutiquam applicari poteſt. Sed regulariter in eo caſu, quo cauſa quædam a procuratore ventilata, deinde vero jusjurandum a principali præſtandum eſſet, tantum abfuerunt Romani, ut juramentum procuratoris in *alterius animam* permiſerint, ut potius quantumvis lis hactenus a procuratore agitata fuerit, *Principalis* tamen in *perſona* ad juramentum præſtandum comparere; ſi vero legitima, comparationem perſonalem detrectandi, cauſa aderat, jusjurandum vel coram *deputatis* a judicio miſſis, vel coram *judice provinciæ* aut *defenſore loci* ubi degebat præſtare ſub *teſtificatione actorum* debuerit (1), quod omnino ſanæ rationi conveniens fuit. Speciatim a comparitione in judicio liberi erant *perſonæ egregiæ* (2), *fæminæ* (3), & *abſentes*, qui omnes tamen aut domi coram commiſſariis delegatis aut coram aliis magiſtratibus juramentum ipſis incumbens actu ſubire obligabantur.

In Germanorum vero judiciis alia plane conſuetudo, jusjurandum etiam in alterius animam præſtandi irrepſit, quod vocarunt

---

(1) L. 12. §. 4. 5. C. *de R. C.* L. 16. C. *de Teſt. Nov.* 124. *c.* 1.

(2) L. 15. D. *de jurej.* L. 2. §. 1. C. *de jurej. propter calumn. cum leg.* antea cit.

(3) L. 2. §. 1. C. *de jurej. propter cal. Nov.* 124. *c.* 1.

vicariis manibus jurare (4). Plerique originem hujus moris a *Clericis* arceſſerunt, qui religioni ſibi duxerint jurare, ac proinde alios ſubſtituerint pro ſe & in animam ſuam juraturos, idque deinde imitatos eſſe laicos (5). Verum ea ratio nunquam ſufficiens mihi viſa eſt, ju jurandum in alterius animam, non ſolum *Clericis*, ſed & *aliis* inter Germanos conceſſum & ſolemne, inde derivandi.

Itaque re propius conſiderata, inveni, ex reliquorum judiciorum divinorum, *duellorum* imprimis, analogia Germanorum conſuetudinem explicandam eſſe. Sicut enim in *duellis*, ad lites decidendas olim adhibitis, varii contingere caſus potuerunt, ubi quis aut ob dignitatem ſuperiorem aut ob aliam vitæ corporiſve conditionem per alium ſcilicet *campionem* aut *advocatum* ſive *defenſorem vicariis manibus* pugnare potuit; ita etiam Germani eadem principia ad purgationes jurejurando ſuſceptas, quas itidem pro immediato Dei judicio habuerunt, tranſtuliſſe ac quibuſdam perſonis libertatem, per alios jurandi conceſſiſſe videntur. Hinc ſenſim eam libertatem ſibi vindicarunt *Principes* (6), *Clerici*, qui alias inſuper rationes ex juris

(4) Conf. Du Freſne *Gloſſar. ſub voc. jur. vic. man.*

(5) Conf Heineccius *Jur. germ.* L. III. §. 219.

(6) *Jus prov. Sax.* L. II. a. 42. *Rec. Imp.* de 1521. tit. 7. §. 10. *Conc. Ord. Cam.* P. II. t. 11. §. 8.

canonici principiis allegare poterant (1); *Pupilli* (2). Sæpe etiam ex illa duellorum analogia *fœminæ* exemtionem uſurpabant, quibus tamen perſonalis jurisjurandi præſtatio aliis iterum legibus recentioribus injuncta.

Deinde origo ac inſtitutio judiciorum imperii, a quibus partes plerumque longo abſunt ſpatio, uſum illius modi, in alterius animam jurandi, qui ibidem permittitur, eo magis multiplicavit, quo magis etiam principia juris canonici conſpirarunt (3). Si dicam, quod ſentio, equidem hodienum principiis juris romani recentioris eatenus ſtricte inhærendum eſſe puto, ut nempe quævis juramenta a parte litigante ipſa aut in judicio, ubi cauſa ventilatur, aut ob legitima impedimenta coram aliis judicibus, com-

(1) Conf. Du Freſne voce: *Juramentum vicariis manibus.*

(2) Tutores tamen in cauſis pupillorum tanquam eorum defenſores (Mundmanni) in propriam animam jurabant. Elegans exemplum vid. *in Mon. Boic. vol. IX.* p. 476. n. 135. Conf. etiam cel. Frid. Chriſt. Jon. Fiſcher *in der Geſchichte des paviſchen Vertrags*, *Urkundenbuch n.* 40. Etiam juramentum fidelitatis tanquam provaſalli proprio nomine præſtiterunt, quod deinde pupilli poſt adeptam pubertatem repetere tenebantur, *jus feud. allem.* c. 5. *jus feud. Sax. a.* 28. ſed jure Longobardico peregrinis principiis tincto volentes tantum admittuntur tutores ad vaſallagium pro pupillis præſtandum, & quidem ita, ut deinde a pupillo adepta pubertate idem repeti haud

miſſariis, aut perſonis publicis ad eum actum requiſitis, præſtari debeant. Totus ille in alterius animam jurandi modus tanquam ceremonia ſuperflua nil juvat. Ineſt enim ipſi mandato a Principali edito, verum jusjurandum (4).

Si deinde ritus externi & corporales, terroris cauſa inventi, accedant ac effectum habeant, principalis ipſe ſive in judicio ſive ob impedimenta comparitionis domi, ubi degit, illis ſubjiciendus eſt. Id rationi convenit. Quoniam vero non omnia, quæ a majoribus recepta ſunt, una vice purgari aut everti poſſunt, Pragmatici ſaltem cordatiores ita tradunt: *regulariter quodvis jusjurandum a Principali in perſona præſtandum eſſe.* A qua tamen regula excipiunt *Electores & Principes* (5); juramenta tantum *acceſſoria*

---

debuerit *II. feud.* 26. §. 1. *II. feud.* 3. §. 1. *II. feud.* 58. §. 2. Legibus autem Germaniæ recentioribus coguntur tutores vaſallorum imperii vice pupilli vel minoris intra annum a tempore ſuſceptæ adminiſtrationis juramentum fidelitatis præſtare, a quo deinde etiam vaſallus major factus liber eſt. *Capit. nov. a. XI.* §. 5. 6.

(3) *Conc. Ord. Cam. P. I. t.* 87. *III. t.* 38. *R. I.* de 1654. §. 43. conſpirat *jus canonicum* c. 6. 7. *X. de jur. calum.* c. 3. *ibid. in 6to.* c. 2. *de teſt. in 6to.* c. 1. §. 1. *de ſtatu Regular. in 6to.*

(4) Conf. Harpprecht *de jurej. ſcriptura præſtito.* Tub. 1745.

(5) *R. I. de* 1521. *t.* 7. §. 10. *Conc. ord. cam. P. II. t.* 11. §. 8.

ad cauſam principaliter haud ſpectantia atque etiam *calumniæ*; quando Principalis comparere impeditus nec coram alia inſtantia ex requiſitione juramentum commode præſtare poteſt, aut ſi adverſarius conſentit; quibus caſibus jusjurandum a procuratore ſatis inſtructo in Principalis animam præſtandum admittunt (1).

Irrationalis vero eſt & neutiquam toleranda eorum ſententia, qui interdum & *in animam jurare nolentis* & e. g. *urphedam recuſantis* alium vel carnificem jusjurandum præſtare poſſe contendunt (2). Quodſi enim tertius ad jusjurandum in animam Principalis admittatur, ſemper hujus conſenſus & mandatum religionem contrahit. Cum vero Principalis jusjurandum recuſat, quale, quæſo, conſcientiæ vinculum oriatur, ſi in animam inviti & nolentis tertius juravit? deficiunt in hoc ritu ex omni parte vano, quævis jurisjurandi eſſentialia, & religio maximo ludibrio exponitur. Hinc optarem, ut talis doctrina, contra ſanam rationem impingens, & recentiorum ſcriptis eliminaretur, & judices ob contumaciam rei, cui *urpheda* injuncta eſt, ſtatim ad alia pœnæ ſecuritatiſque remedia progrederentur.

---

(1) Conf. omnium loco Claproth *bürgerl. Proceſs.* §. 332.

(2) Claſenius ad C. C. C. a. 108. Mylius ad *Beyerum* ad C. C. C. a. 176. *poſ.* 9.

§. XCV.

De admonitione pro vitando perjurio.

Denique circa formam jurisjurandi illud adhuc tenendum breviſſimis, quoſcunque, quibus illius præſtatio incumbit, de gravitate hujus actus religioſi ac vitando perjurio ſerio ab ipſo judice admoneri debere (3). Præſentia *miniſtri eccleſiæ*, quæ niſi vileſcat, haud quotidiana eſſe, ſed in ultimum demum ſubſidium ob rationes graviſſimas adhiberi debet, regulariter non neceſſaria eſt. Ad illius igitur advocationem non niſi tum judex progredietur, ſi aut cauſæ ipſius ac objecti pondus, aut animi levitas ſingularis ampliores apparatus ac admonitiones exigant (4).

---

(3) Mylius *de admonitione de vitando perjurio, quæ fit per clericum.* Ejuſd. *diſp. de officio judicis & clerici in act. admon. de vit. perj.*

(4) Claproth *bürgerl. Proc.* §. 334.

CAPUT XI.

De pœna perjurii ex ſententia Romanorum ejuſque uſu hodierno.

§. XCVI.

Romani veteres perjurii pœnam a judice infligendam ignorarunt.

Doctrina de perjurii pœna apud veteres Romanos brevis eſſe poteſt, ſi totum eorum ſyſtema de jurejurando, hactenus enodatum, ad animum revocatur. Nempe cum omnem jurisjurandi vim unice in immediata ac miraculoſa Deorum vindicta, malis phyſicis infligenda, poſuerunt, ſimulque etiam interdum ſacris piacularibus temeritatis gratiam a Diis impetrari poſſe, aliorum antiquorum hominum more ſibi perſuaſerunt (§. 25.);

(1) Cicero *de leg. L. II. c.* 9.
(2) Tacitus Ann. L. I. c. 73.
(3) L. 2. C. *de reb. cred. & jurej.*
(4) L. 2. D. *de dolo malo.*
(5) Cicero *de officiis* L. III. c. 31. ibi: "Nullum enim vinculum ad adſtringendam fidem jurejurando majores arctius eſſe voluerunt. Id indicant leges in XII. tabulis, indicant ſacratæ, indicant fœdera, quibus etiam cum hoſte devincitur fides,

(§. 25.); facile exiſtimandum eſt, pœnam publicam a judice in perjuros ſtatuendam cum illa religione conciliari haudquaquam potuiſſe. Hinc etiam intelligi poſſunt formulæ Auctoribus ac ICtis antiquis ſolemnes, quæ nonnullis noſtratium, tantam indulgentiam a reliqua Romanorum prudentia haud exſpectantium, varios ſcrupulos moverunt. Sic enim Cicero ex antiquo legis fragmento refert: *perjurii pœna divina exitium, humana dedecus* (1). Similia, teſte Tacito, conſulibus reſcripſit Tiberius: *jusjurandum* (Rubrii) *perinde æſtimandum, quam ſi Jovem fefelliſſet, Deorum injurias Diis curæ* (2). Porro Imperator Alexander: *Jurisjurandi contemta religio ſatis Deum ultorem habet* (3). Cum quibus etiam conſpirant verba ſupra jam explicata ICti Pauli, retractationem cauſæ perjurio etiam probato negantis, *quia ſufficiat perjurii pœna* (4). Ex eorum autem omnium ſententiis apparet, præter *notam cenſoriam* generatim ad quaſvis vitæ rationes ſeſe exſerentem (5) quæ tamen Cenſorum poteſtas ad infamiam infligendam ſeſe haud

---

indicant notiones animadverſioneſque cenſorum, qui nulla de re diligentius, quam de jurejurando judicabant &c." Idem L. I. c. 13. ibi: "Secundo autem punico bello poſt Cannenſem pugnam, quos decem Hannibal Romam adſtrictos miſit jurejurando, ſe redituros eſſe, niſi de redimendis iis, qui capti erant, impetraſſent, eos omnes Cenſores, quoad quiſque eorum vixit, qui pejeraſſent, in ærario reliquerunt, nec minus illum, qui jurisju-

extendit, pœnam nullam adverſus perjuros ſtatutam fuiſſe legibus romanis. Quæ enim de falſis teſtibus in cauſis criminalibus & de accuſatoribus paſſim occurrunt pœnæ, eas ad diverſas plane delictorum claſſes & neutiquam ad perjuria referendas eſſe, tritum eſt ac ab aliis jam ſatis obſervatum (1). Eademque ratione verba Modeſtini *in l. fin. D. de ſtellionatu*, ibi: *de perjurio, ſi ſua pignora eſſe quis in inſtrumento juravit, crimen ſtellionatus ſit & ideo ad tempus exulat* &c. clara ſunt, & non de pœna perjurii ſed de crimine ſtellionatus, quod in caſu propoſito ſpecialiter ſubverſabatur, intelligenda. Unica tantum ſpecies, oppreſſa libera Romanorum Republica ſub Imperatoribus pœnæ publicæ ſubjecta eſt, ſcilicet perjurium per *genium principis*. Id enim pro more imperii deſpotici inter crimina læſæ majeſtatis relatum, atque pro cujuſvis libidine interdum maxima cum ſeveritate punitum eſſe, ſupra jam docui (§. 67.). Poſtea tamen Imperatores Severus & Antoninus moderatiora de hac perjurii ſpecie principia ediderunt, ac illius pœnam certius

---

randi fraude culpam invenerat. Cum enim Hannibalis permiſſu exiſſet de caſtris, rediit paulo poſt, quod ſe oblitum neſcio quid diceret. Deinde egreſſus e caſtro jurejurando ſe ſolutum putabat. Et erat verbis, re non erat &c."

(1) Conf. Strecker *de pœna perjurii*. Erf. 1733. Rivinus *de pœna perjurii*. Lipſ. 1733. Quiſtorp l. c. §. 132. Bœhmer ad C. C. C. a. 12. 68. 107. §. 7.

(2) L. 13. §. 6. D. *de jurej*. Ev. Otto *de per-*

humaniuſque ſimul definierunt, conſtituentes: ut, ſi quis juraverit in re pecuniaria per genium principis, dare ſe non oportere, & pejeraverit, vel dari ſibi oportere, & intra certum tempus juraverit, ſe ſoluturum, nec ſolvit, *fuſtibus caſtigandus* dimittatur, eique, *petulanter ne jurato*, ſuperdicatur (2). Sed ingulgentius adhuc de eo crimine cogitavit Imperator Alexander, pœnam illam variè reſtringens conſtitutione celeberrima: *Jurisjurandi contemta religio ſatis Deum ultorem habet. Periculum autem corporis vel majeſtatis crimen ſecundum conſtitutionem parentum meorum, etſi per principis venerationem quodam colorè fuerit pejeratum, inferri non placet* (3).

§. XCVII.

De pœna perjurii poſt introductam religionem chriſtianam.

Religione chriſtiana publice recepta, ab Imperatoribus illi addictis varia remedia partim inania & perverſa partim vero & alia ſa-

---

jurio per genium Principis, qui ſub verbo *ſuperindicere* intelligit Præconis elogium, quo cauſa pœnæ publice enunciabatur. L. 16. C. *ex quib. cauſ. inf.*

(3) L. 2. C. *de R. C. & jurej.* add. L. 2. C. *ad leg. Jul. Mai.* ibi: " Alienam ſectæ meæ ſolicitudinem concepiſti, quaſi crimen majeſtatis ſuſtineres, ſi ſervo tuo iratus eſſe non perſeveres, quod ſemper te facturum, inconſulto juraveras."

næ rationi magis accommodata inventa eſſe, quibus jurijurando honorem conciliarent, atque perjuria præſcinderent, ſupra docui (§. 86). Iiſdem etiam debentur prima pœnarum publicarum in perjuria ſtatutarum veſtigia certiora. Sic enim præter reliquas animadverſiones, in alia delicta cum perjurio ſimul conjuncta definitas (1) quarum recenſionem heic prætermitto, ſpeciatim perjuris *Infamia* irrogata eſt. Spectat huc præcipue celeberrima Impp. Arcadii & Honorii conſtitutio: *Si quis major annis XXV. adverſus pacta vel tranſactiones nullo cogente imperio, ſed libero arbitrio & voluntate confectas, putaverit eſſe veniendum, vel interpellando judicem vel ſupplicando principibus vel non implendo promiſſa, eas autem invocato Dei omnipotentis nomine eo auctore ſolidaverit*, non ſolum notetur infamia, *verum etiam actione privatus, reſtituta pœna*,

(1) Huc pertinent etiam, quæ de *adminiſtratorum & judicum corruptorum* pœnis non ad perjurium ſed alias ſimul delictorum claſſes ſpectantibus paſſim occurrunt in L. 6. C. *ad leg. Jul. repet. Nov.* 124. *c.* 2.

(2) L. 41. C. *de tranſact.*

(3) L. 13. C. *de Teſt.* Qui falſa in teſtimonio protulerit, primum quidem de perjurio, deinde falſi crimine convenitur. Quodſi eum in ipſo teſtimonii tempore mentiri ſuſpicio ſit, verberatur.

(4) L. 17. C. *de dign.* Quotiens ex privata cujuslibet interpellatione civili vel criminali viri illuſtres conveniendi ſunt, nulla dandæ fidejuſſionis concuſſione vexentur, ſed per ſpeciale privilegium ſuæ committi fidei, conſequantur, juratoria ab his

quæ pactis probatur inſerta, & rerum proprietate careat & emolumento, quod ex pactione vel tranſactione illa fuerit conſecutus. Itaque omnia eorum mox commodo deputabuntur, qui intemerata pacti jura ſervaverint. Eos etiam hujus legis vel jactura dignos eſſe jubemus vel munere, qui nomina noſtra placitis inſerentes, ſalutem Principum confirmationem initarum juraverint eſſe pactionum (2). Eadem infamia etiam ad falſos teſtes ob perjurium manavit (3), quamvis illi, præſertim in cauſis criminalibus, in graviorem ſimul pœnam, perjurii animadverſionem abſorbentem, incurrere potuerint. Immo ob eaſdem infamiæ rationes etiam in *Illuſtres* perjuros *dignitatum privationem* ſtatuit Juſtinianus (4).

Reliqua omnia de pœna perjurii incerta ſunt & obſcura (5). Neque mirandum eſt, Imperatores poſterioris ævi inter diverſa reli-

cautione tantummodo exponenda, quam ſi neglexerint & contra inſertum cautioni ſacramentum ipſi vel illorum procuratores abſuerint, in pecuniariis quidem cauſis ſuper poſſeſſione rerum ad eos pertinentium judex competens, quod etiam juris autoritas & rei qualitas ſuggeſſerit, ordinabit. In criminalibus vero negotiis dignitate quoque, qua ſe per ſuum videlicet perjurium indignos eſſe probaverint, ſpolientur, ut in eos, utpote illuſtri dignitate per ſuum facinus privatos, inconſulta etiam noſtra pietate, judicibus legum ſeveritatem liceat exercere.

(5) Quæ in quibuſdam legibus remiſſive occurrunt veſtigia generalia, *quod perjuria puniantur*, ea aut ad pœnas divinas in legibus moſaicis occur-

gionis antiquæ & chriſtianæ principia fluctuaſſe & in definienda perjurii pœna tam obſcuros fuiſſe. Interceſſit enim *Clericorum* etiam auctoritas, quos talia delicta adverſus Deum commiſſa mox ad forum ſuum traxiſſe, reiſque varios pœnitentiarum, jejuniis aliiſque corporis caſtigationibus ſubeundarum gradus impoſuiſſe, ſupra jam demonſtravi (1). Et ſane facillima *clericis* eſſe potuit ea poteſtatem ſuam augendi occaſio. Scilicet & olim talis temeritas ſacris piacularibus coram pontifice expiari potuit (§. 25). Nec leges Moſaicæ, quas Clerici in omnibus capitibus Pontificum auctoritati proficuis ſtricte imitati ſunt, adverſabantur (§. 18), quamvis in hac doctrina de ſacris piacularibus antiquæ religionis ac regiminis formulæ tantum accommodatæ erant. Sed nihil convenientius videbatur, quam in locum illorum ſacrorum jam *pœnitentias* corporis cruciationibus exſeren-

---

rentes, aut ad pœnam infamiæ ſpectare videntur. Conf. L. 2. C. *de indict. vid. Nov.* 53. c. 4.

(1) C. 11. C. 22. qu. 4. Qui ſacramento ſe obligaverit ut litigans cum quolibet ad pacem nullo modo redeat, pro perjurio uno anno a communione corporis & ſanguinis Domini ſegregatus, reatum ſuum eleemoſynis, fletibus, & quantum potuerit jejuniis abſolvat. c. 2. 4. 7. C. 22. qu. 5.

(2) Quæ enim in c. 17 C. 22. qu. 1. occurrunt: Si quis vero perpetrato perjurio aut quolibet criminali peccato timens pœnitentiam longam ad confeſſionem venire noluerit, ab eccleſia repellendus eſt, ſive a communione & conſortio fidelium, ut nullus cum eo comedat, neque bibat, neque oret, ne-

das, atque *abſolutionis* eccleſiaſticas ſubſtituere, *contumaces* vero, ac pœnitentiam recuſantes a *communione eccleſiæ* excludere, *bannoque* ferire (2), eaque ratione poteſtati civili omnem ulterius cognoſcendi ac decernendi poteſtatem prohibere.

§. XCVIII.

De hodierna jurisjurandi pœna.

Severiores ſunt pœnæ, quas *Germani* in perjuria ſtatuerunt, nempe *manuum* aut *digitorum*, quibus juratum eſt, *amputatio* (3) cui nonnullæ leges reſectionem linguæ (4), immo capitale ſupplicium (5) addiderunt. Illis veſtigiis etiam inſiſtunt leges medii ævi (6). Et convenit ſane illa amputationis rigidiſſima pœna cum principio Germanorum, qui in ea corporis parte, qua quiſque crimen ad-

que in domo ſua cum recipiat &c. ea & Juſtiniani tempore jam obtinuerunt.

(3) Conf. Georgiſch *Corp. jur. germ.* p. 564. 584. 698. 705. 711. 738. 902. 1109. 1136. 1138. 1171. 1187. 1345. 1373. 1393. 1450. 1467. 1645. 1731. 1782 1826. 1831. Legum ſeptentrionalium huc ſpectantium recenſionem vid. ap. Dreyerum *de ceſpit. requiſ. in teſt. hab.* §. 22. not. q. Weſtphalen *monum.* T. IV. p. 1933.

(4) Exempla vid. ap. Bœhmerum in med. ad C. C. C. a. 107. §. 6.

(5) *Lex Saxon.* t. II. Weſtphalen *monum. ined.* P. II. p. 570.

(6) *Spec. Sax.* L. I. a. 65. *Sueo. C.* 163.

miſerat, pœnam infligebant. Sed in definiendis veris perjurii characteribus curioſi non erant majores noſtri.

Deinde id præcipue notandum eſt de legibus illis antiquis, ſi paucas exceperis, perjuro conceſſam fuiſſe facultatem, manuum amputationem aut reliquas mutilationes pretio quodam redimere ac avertere. Quæ perjurii compoſitiones Germanorum ſyſtemati accommodatæ vocantur plerumque *Widrigelda.* Appellari etiam potuiſſent *Werigelda.* Id quod eorum gratia heic obſervo, qui nullum inter utramque vocem diſcrimen ob earum promiſcuum uſum ſtatuunt (1). Sed rectius alii & imprimis illuſtris Dreyerus *Widrigeldum* ad genus, omnibus compoſitionibus commune, *Werigeldum* vero ad ſpeciem homicidiis propriam referunt, & utriſque vocabulis diverſas matres adſcribunt (2). Nihilominus autem in perjurio equidem ſingularem rationem inveniſſe mihi videor, cur utraque vox applicari potuerit, & *Werigeldum* proprie tale ſi non nomine, tamen re ipſa, in uſum nonnunquam venerit. Nempe Clerici illius ævi, præeuntibus Patribus chriſtianis, cum generatim ſæpiſſime in doctrina metaphoricis & oratoriis uſi ſunt expreſſionibus, tum & ſpeciatim perjurium *homicidium animæ* crebro appellarunt (3). Eos vero floſculos orationis homines rudiores, quales

---

(1) Hauſchild *Gerichtſverf. der alten Teutſchen* p. 18.

(2) Dreyer l. c. §. 22. not. l.

tunc temporis majores noſtri erant, raro ſenſu ſpirituali ſed prout verba jacebant, corporali magis intellexerunt. Hinc ſecundum leges quaſdam perjuros ob homicidium animæ dimidium *Werigeldi* ſolvere debuit: *ſi quis timoris Dei immemor pro cupiditate terrena vel propter qualemcunque rem ſciens pejuraverit & poſtea ſic inventum & probatum fuerit, quod pejuraſſet, tunc amittat ipſam rem unde pejeravit, & habeat eam ipſe, cui contra rationem perjuravit. Inſuper quia in ſe ipſo, & quod plus eſt in Deo peccavit, & negavit fidem ſuam & perjuravit in Domino Deo ſuo, & ſibimet ipſi non pepercit, componat medium Widrigild ſuum* (ſub quo heic *Werigeldum* intelligitur) *ei, cui ipſe perjuravit* (4).

Tandem quoque *Conſtitutio criminalis Carolina* ad communem imperii conſuetudinem provocans, requirit ad pœnam ordinariam decernendam I. jusjurandum *ſolemne in judicio verbis conceptis* præſtitum. Ergo ad eam claſſem pertinent juramenta a partibus aut a judice delata; juramenta teſtium in cauſis *civilibus.* Si enim in *criminalibus* falſum teſtimonium ediderunt, pœna plane diverſa ſcilicet *talionis* ſtatuta eſt, cujus indolem & uſum hodiernum, quoniam non ad perjurium & præſentem doctrinam ſpectat, heic prætermitto; juramenta promiſſoria, in judicio præſtita, ad ſpecialem cauſam directa, im-

(3) Conf. Auguſtinus c. 5. C. 22. qu. 5.

(4) *Leges Luitprandi L. VI. a.* 91. Georgiſch p. 1109.

primis *cautiones* (1). Sive autem jusjurandum coram ipſo judicio, in quo cauſa ventilata eſt, ſive coram alio judice ex requiſitione, ſive coram deputatione judiciali præſtitum ſit, ſemper characteres perjurii judicialis ex mente legis adeſſe puto. Neutiquam vero ad eam claſſem pertinent nudæ aſſeverationes & promiſſiones quantumvis feriæ (§. 78.) neque aſſertiones aut promiſſiones ſtipulata tantum manu ſub formula: *An Eidesſtatt*, factæ; nec juramenta quævis extra judicium præſtita. Denique nec huc refero juramenta per procuratores præſtita, quoniam & ea ab extrajudicialibus aut ſcriptis non differunt, cum ſoli mandato jurisjurandi vis ineſt (§. 94.) Unde ſimul nova emergit ratio eam conſuetudinem, quantum poſſibile, rejiciendi.

Supponitur porro II. in eo articulo jusjurandum in *fraudem* aut *læſionem tertii* aut *reipublicæ* tendens, adeoque cum *falſo* conjunctum. Ea vero qualitas non ſolum cum perjuriis judicialibus, quorum in articulo citato mentio fit, ſemper conjuncta eſt, quoniam jurisjurandi præſtatio in judicio nullo cogitari poteſt, ubi non tertii aut reipublicæ intereſſe ſubverſetur, ideoque perjurium in alterius fraudem tendat ſed etiam in perjuriis extrajudicialibus idem requiritur, ſi

(1) Recte juramentum promiſſorium ſpeciale requirit Kochius l. c. §. 547. quoniam generale e. g. officiale, quamvis coram magiſtratu præſtitum, ad eam claſſem referri non poteſt.

ſaltem arbitraria pœna decernatur. Unde hoc requiſitum generale eſt, & ad qualemcunque pœnam exigitur. Lucrum vero pecuniarium a pejerante perceptum neceſſarium haud eſſe dudum ab aliis obſervatum eſt.

Requiritur porro III. *Dolus*, & ut quis ſcienter fidem juratam *fallat*. Hinc *error*, *metus*, *mentis defectus*, ac obligationis principalis ab initio validæ *interitus* aut *impedimentum* legitimum, poſtea emergens, pœnam ordinariam non admittunt (2), quamvis in quibuſdam caſibus *culpa* arbitrarie coercenda ſupereſſe poſſit.

IV. Pœna ipſa clare præſcripta eſt, ſcilicet *Infamia* cum *privatione omnium dignitatum*, quam vulgo *infamiam juris* appellant (3). Præcipue vero abſciſſio duorum digitorum, quibus elevatis antea juratum eſt, quam tamen Praxin uſque ad priorum articulorum ſolutionem temperare tradunt. De reſtitutione lucri ſupra actum eſt (§. 65.). Recte vero alii interpretes uſum hujus abſciſſionis negant (4), quibus & ego lubens accedo, non quaſi perjuris ullo modo indulgere vellem, qui potius hodie ex principiis rationalibus ſupra jam expoſitis (§. 13.) ſummo cum rigore in eos animadverti debere contendo. Sed abſciſſio illa, priſtinis Germanorum principiis pœnalibus ſolum accommodata, ſa-

(2) Willenberg *de perjurio venali.*

(3) Bœhmer *ad Carpzov. Qu. XLVI. o. 2.*

(4) Hommel *Rhapſod. quæſt. in foro quotidie obvenient.* coll. 4. Struben *rechtl. Bed. P. IV. n.* 87.

niori pœnarum fini haudquaquam reſpondet, utpote neutiquam ejus generis mala permittenti, quæ hominis, qui in poſterum adhuc vivat, corpus ita mutilant, ut ad operas præſtandas inidoneus evadat. Ergo potius pro circumſtantiis concurrentibus præter *infamiam*, omnino & hodie ſummo cum rigore in hoc delicto obſervandam, *fuſtigationem* aut *relegationem*, vel potius loco earum pœnarum condemnationem ad *operas publicas* aut *ergaſtulum* in duos circiter annos decerni poſſe, exiſtimo, ita tamen, ut reus antea in *loco publico* cum *indice* commiſſi delicti ſcripto ad palum infamantem *exponatur* (1).

In eos, qui *urphedam* frangunt, Carolina a. 108., niſi aliud gravius delictum concurrat, itidem manuum aut digitorum abſciſſionem ſtatuit, quem articulum olim interpretes intolerabili opinionum varietate turbarunt. Sed rectius nonnulli, etiam heic ab illa pœna recedendum aliamque corporalem, cum qua tamen ſemper expoſitionem rei in publico loco ſupra indicatam conjungi debe-

(1) Expoſitio rei, quam & olim Romani ſaltim ob perjurium per genium principis decernebant, ſuperdictis a præcone notiſſimis illis verbis: *petulanter ne jurato*, præcipue neceſſaria eſt in hoc delicto. De palo infamante ideo non dubito, quoniam eo nil niſi infamia ipſis jam legibus in perjurum ſtatuta, publice declaratur.

(2) Rectiſſime idem contra alios, qui omni ratione adverſante a frangente urphedam, ceu perjuro,

re puto, ſubſtituendam eſſe cenſent. Speciatim etiam eorumdem ſententiæ ulterius in eo accedo, tales, qui contra præſtitam urphedam vindictam exercere tentarunt, ad carceres aut opus publicum condemnandos eſſe, uſque dum ſecundum articulum 176. C. C. C. plena ſecuritas ab illis obtinetur; relegatos, qui contra præſtitam urphedam redierunt, prævia fuſtigatione aliave pœna corporali denuo relegandos, quo tamen caſu nova urphedæ præſtatio ceſſare debet (2), iterata vero vice urphedam frangentes ac revertentes ad carceres perpetuos aut opus publicum condemnandos eſſe (3). Immo & interdum ſi circumſtantiæ concurrentes illud ſuadent, in relegatos prima vice revertentes carceres aut opus publicum arg. cit. a. 176. tamdiu ſaltem decerni poſſe exiſtimo, uſque dum aliam de futura paritione ſecuritatem idoneam præſtant, aut fini pœnali eo ipſo modo ſatisfactum eſt.

V. Reliqua perjuria *extrajudicialia* aliaque ſupra a me indicata arbitrarie puniendа eſſe

---

novum jusjurandum exegerunt, monuit Quiſtorp l. c. § 141.

(3) Bœhmer ad a. 108. §. 1. Quiſtorp l. c. §. 141. Si tamen alia plena ſecuritas a reo obtinetur, aut alias fini pœnali ſatisfactum, tum & heic cuſtodia finiri nonnunquam poteſt. Arg. C. C. C. a. 176. omnino etiam ſuo modo ad relegatos redeuntes applicandi. De jure Saxonico & variis Doctorum opinionibus V. Paul. Phil. Wolfhart *de crimine fracta urpheda.* Rint. 1748. Puttmann §. 131.

facile conſtat. Quod deficiente lege, certo determinari vix poteſt. Neque vagis & contradictoriis interpretum opinionibus me ingerere cupio. Id tamen putarem, reliqua perjuria *doloſa extrajudicialia* præter pœnam corporalem mitiorem *carceris* aut *pecuniariam* ob juris romani diſpoſitionem heic applicandam imprimis quoque *infamia juris* & *dignitatum privatione* coercenda eſſe. Lenius adhuc tractanda neque ſtatim cum infamia notanda ſunt perjuria mere *culpoſa* aut promiſſoria *generalia* imprimis *officialia* ex rationibus in §. 11. indicatis. De *adjutoribus* & *ſociis*, immo & judice perjurium antea præviſum permittente arbitrarie pro doli aut culpæ gradu coercendis, non dubitandum eſt. Sed pœnarum moduli ob legum defectum & caſuum varietatem fruſtra regulis comprehenduntur.

LIBER IV.

De jurejurando ex Germanorum doctrina ejuſque uſu hodierno.

CAPUT I.

De effectu religionis veterum Germanorum in doctrinam de jurejurando.

§. XCIX.

Introitus.

Cum ad doctrinam de jurejurando e Germanorum legibus illuſtrandam me converto, id mihi minime fuit in animo, ea, quæ ex peregrino jure decerpta ac in leges patrias translata ſunt, heic repetere, neque innumeras illas applicationum diverſitates, quæ in legibus antiquis & medii ævi paſſim occurrunt percurrere; quis enim tam immenſum opus ſuſceperit aut juſto libello comprehenderit? Igitur non niſi principia quædam generalia indicabo, quibus Germani originetenus ſuam doctrinam ſuperſtruxerunt, illiuſque veſtigia uſque ad tempora recentiora propagata, uſumque hodiernum

ſummo brevitatis ſtudio docebo. Pleræque enim controverſiæ ſecundum Romanorum doctrinam de jurejurando jam explicatam in foris noſtris hodie deciduntur, eaque ſocietati politiori magis convenit. Quæ vero e jure germanico ſuperſunt ſpecies, pleræque primam adhuc morum barbariem ſpirant, & ita comparatæ ſunt, ut non uſus præoptandus videatur.

§. C.

Purior videtur Germanorum veterum religio.

Trita eſt & jam dudum profugata eorum fabula, qui Taciti quibuſdam, Julii Cæſaris, aliorumque peregrinorum ſuam Deorum familiam partim & in Germaniam tranſplantantium relationibus turbati, quicquid divini cultus inter eos invenerunt, id omne ad peregrinos Deorum ſuperorum, inferorum & medioxumorum greges detorquere, eoque verum germanicæ religionis ſenſum fœdiſſime adulterare non erubuerunt. Parum tolerabilior fuit eorum veſania, qui ad quævis fere antiquitatis monumenta, lapides, victoriarum ſigna, quibus grandioris aut extraordinariæ formæ ſpecies ineſſe videbatur, ſtupuerunt, vel quæcunque ſanctiori quodam

---

(1) Tacitus *de mor. Germ.* c. 9. & 39. ibi: " Eo omnis ſuperſtitio reſpicit, tanquam inde initia

quodam cultu majores noſtros veneratos eſſe, tradit accepimus, ea omnia inter Deos Deaſve referre, atque ſub ea qualitate venditare haud dubitarunt. Hinc negari ſane non poteſt ſine quadam invidia, aut vana & ingrata peregrinorum prædilectione, veterum Germanorum cognitionem de Deo, reliquorum antiquorum hominum, niſi qui inter ſapientiores numerabantur, opiniones, magnitudine ac pulchritudine quadam ſuperaſſe. Coluerunt enim Deum unicum, univerſi creatorem ac patrem omnipotentem, cujus regimini omnia ſumma & ima ſubjecta, nec non reliquos Deos, ſeu potius heroes, apud illum vitam æternam agentes, ſubordinatos eſſe, docuerunt. Eidemque demendo hominum infirmitates ac vitia, ſummas animi virtutes tribuerunt. *Cæterum* enim, Tacitus ait: *nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris ſpeciem aſſimilare ex magnitudine cœleſtium arbitrantur. Lucos ac nemora conſecrant, Deorumque Nominibus appellant* ſecretum illud, quod ſola reverentia vident (1). Atque, ut Edda refert, *Antiquiſſimus omnium Deorum* Alfadir *omnium pater appellatur. Hic Deus per ſecula vixit & regnum ſuum gubernat, omnia regens, magna & minima, ſumma & ima. Is cœlum, terram & aerem condidit omnemque eorum poſſeſſionem, &, quod maximum eſt, hominem fecit, cui animam tribuit,*

---

gentis, ibi regnator omnium Deus, cætera ſubjecta atque parentia.

ſemper victuram, nunquam interituram, etſi corpus putreſcens in pulverem terræ, aut per ignem in cinerem redigatur, viventque omnes homines bene morati, & erunt cum ipſo in loco, qui Gimle *dicitur, ſed mali ad* Helam *abibunt & inde in* Niflheimum (1). Deinde nemo majoribus noſtris negaverit magnum illud atque vere divinum immortalitatis animæ dogma, quo tota fere vitæ duræ ac voluptatibus adverſæ ratio progenita eſt, quove mortem, aliis hominibus tam funeſtam ac triſtem, adeo levem immo ſuavem jucundamque ſibi repræſentarunt, ut ei non forti tantum ſed & alacri animo neſcio an contemnentes magis, quam expetentes inexorabile fatum, ſubeſſe viderentur (2).

§. C I.

Religio tamen miraculis plena quoſvis fere eventus ab immediato & quotidiano Deorum influxu exſpectabat.

Illi tamen æque lapſi mihi videntur, qui, cum inter veteres Germanos ac alios homines antiquos diſcrimen quoddam religionis

(1) Edda vers. Reſen. *myth.* 3.

(2) Cæſar. *de bello gall.* L. IV. c. 14; inprimis hoc volunt perſuadere Druidæ, non interire animas. *Strabo Geogr.* l. 4. animas interitus expertes ſtatuunt. Valerius Max. *rer. mem.* L. II. c. 6. perſuaſum habent, animos eſſe immortales. Conf. Brucker *hiſt. phil.* T. I. L. II. c. 9. p. 342.

popularis tam inſigne animadverterunt, idem cognitionis ſyſtema per maximos ſaltus uſque ad rationis excultæ religioniſque revelatæ apices extollere conati immo ubivis ſenſum myſticum inveniſſe ſibi viſi ſunt. Deprehendi enim majores noſtros quamvis Deorum numerum minuentes eoſque omnes ſummo Enti ſubordinantes (3), quodam ſaltim reſpectu in eodem cognitionis tramite, quo & alii antiqui homines progreſſi ſunt. Nempe nec ab eorum Deo humana natura aliena erat, quamvis uſque ad ſummum intellectus ac virtutis, quo hominum ferocium ingenium ac imaginatio eniti potuit, gradum elata, atque a ſordido voluptatum affectu purgata fuerit. Odinus enim S. Pater omnipotens in urbe cœleſti locoque *Hlidskialf* appellato, tanquam ex generali ſpecula totum mundum intuebatur, omniumque hominum facta vidit, viſaque intellexit (4); ſed tamen vitam egit & regimen ad humanum morem effictum quamvis omnibus vitiis carens. Armis enim in *Valhalla* ſub ipſius Odini auſpiciis ſeſe exercent heroes (5). Cibo & potu optimæ qualitatis ibidem delectantur (6). Ipſi Odino uxor eſt tam animi quam

---

Pfanner *Theol. gent.* c. 17. §. 2.

(3) Edda Myth. 18. Odinus *Allfader Pantopater vocatur, quia pater eſt omnium Deorum.*

(4) Edda Myth. 7.

(5) Edda Myth. 35.

(6) Edda Myth. 33.

corporis pulchritudine inſignis (1), quam circumdant comites & miniſtræ amantium fata volventes (2). Idem equum, lupos & canes alit (3). Summa ibi judicia humano more celebrat (4). Deinde quævis in terra adhuc viventium fata immediate flectit; ſcilicet fortibus atque probis in prœlio pugnantibus per miniſtros Genioſque auxilio ſemper adeſt, immo & tempeſtates ac fulmina avertit (5), ignavos autem & ſceleratos ſpernit, quos etiam non ſolum in ulteriori vita loci inferni exſpectabant terribiles (6); ſed & in vita præſenti Dei ira perſequitur. In eo quoque hæc religio cum aliorum antiquorum hominum opinionibus conſpiravit, quod nempe variis *ſacrificiorum* generibus Deorum iram averti, immo interdum non niſi hu-

(1) Edda Myth. 30.

(2) Edda *eod.*

(3) Edda Myth. 14.

(4) Edda Myth. 34. Bartholinus Ant. Dan. L. II. c. 8. p. 425.

(5) Edda Myth. 31.

(6) Deſcriptionem vid. in Eddæ Myth. 4. 14. 28.

(7) Cæſar *de bello Gall. L. VI. c.* 16. Qui ſunt affecti gravioribus morbis, quique in prœliis periculiſque verſantur, aut pro victimis homines immolant, aut ſe immolaturos vovent, adminiſtriſque ad ea ſacrificia Druidibus utuntur, *quod pro vita hominis, niſi vita hominis reddatur, non poſſe Deorum immortalium Numen placari arbitrantur.* Saxo *hiſt. Dan. L. I. p.* 16. Navigante Hadingo oborta nimbi vis ingenti claſſem tempeſtate conſumſit. Naufragum hoſpitia petentem ſubita pena-

manis victimis illum finem obtineri poſſe crediderint (7). Denique hiſce religionis principiis conveniebat etiam ſanctior atque ſingularis quarundam, quales & peculiares familiæ tanquam finium, ac marcarum cuſtodes coluerunt (8), rerum ſanctitas, qua in maximos errores nonnunquam deducti ſunt eruditi, cum quæcunque objecta ad ſacros ritus perficiendos olim adhibita eſſe a majoribus acceperunt, ea omnia ſtatim ad Deorum familiam nimia prodigalitate retulerunt.

Semper autem veteres res quaſdam ſelegerunt, quas cariores Diis eſſe, quarumve auxilio Deorum voluntatem flecti, iramve averti poſſe crediderunt. Hinc etiam immediata Deorum nuncupatione jurantes con-

---

tium ſtrages excepit. Nec ante malo remedium fuit, quam ſcelere ſacrificiis expiato cum ſuperis in gratiam redire potuiſſet. Snorro *Chron. Norvagiæ P. I. n.* 19. Ani rex Suecorum ingens parabat ſacrificium Upſaliæ, ut quam diutiſſime vivere liceret, ac in eo filium offerebat ſuum Odino, a quo reſponſum etiam accipiebat, fore, ut adhuc per annos ſexaginta vitam producat. Inde novem ordine filios Odino immolaſſe fertur ex ſolutione voti nuncupati pro ſpe & promiſſo ſibi facto de totidem decem annos vitam producendo, quot filios mactaſſet. Ol. Verel. *ad hiſt. Gotbr. ac Rolf. p.* 59. Si conſpicuo aliquo indicio numinum ira innotuerat, extra ordinem & ſelecto magis ſacrificio illa placanda cenſuerunt, ne regis quidem vitæ parcentes, ſi rebus id ſuis commodare ſperarent.

(8) Moeſer l. c. p. 57.

tenti haud erant (1); ſed varia illa rerum ſanctarum genera tanquam ſymbola ſimul adhibuerunt. Per eaſdem *auſpicia*, *juramenta*, vel quicquid religioſi negotiis humanis gerendis adeſſe debuit, confecta eſſe notum eſt, e quarum ingenti copia nonnullas tantum, circa *jurisjurandi uſum* inſigniores, heic referre juvat, e. g. *Arma* (2) *mortuorum genios*, *monumenta lapideſque* (3), *arbores &*

---

(1) Complura etiam juramenta ad Thorum directa eſſe conſtat. Wormii *monum. Dan.* L. I. p. 13.

(2) Edda Myth. 19.

(3) Jo. Ericus *de nom. propr. Island.* pag. 67. Schütze *Schützſchr.* P. I. p. 146.

(4) Conf. De Weſtphalen *monum. ined.* T. IV. p. 164. a majoribus enim noſtris lucos & arbores, quibus & ipſos Deos in ſedibus ſuis ſublimibus inſtructos delectari fingebant, inter res ſanctiſſimas ſemper numeratas fuiſſe, notiſſimum eſt. Tacitus *de moribus German. c.* 39. Fides antiquitatis religione firmatur. Stato tempore in ſylvam auguriis patrum & priſca formidine ſacram omnes ejuſdem ſanguinis populi legationibus coeunt cæſoque publice homine celebrant barbari ritus horrenda primordia. Eſt & alia luco reverentia. Nemo niſi vinculo ligatus ingreditur, ut minor & poteſtatem numinis præ ſe ferens. Si forte prolapſus eſt, attolli & inſurgere haud licitum: per humum evolvuntur. Eoque omnis ſuperſtitio reſpicit, tanquam inde initia gentis, ibi regnator omnium Deus. Cætera ſubjecta atque parentia. Edda *Myth.* 15. Multæ ſunt in cœlo urbes amœnæ & omnes illarum munitiones divinæ; prima ſita eſt regio eximiæ pulchritudinis ſub fraxino.

fontes (4), *ſcyphos*, *pocula*, *cornua bibalia Diis conſecrata*, quæ in honorem Odini & jurantes evacuarunt (5). Prætermitto *feſtucas*, *ceſpites*, *barbam* & *capillos*, *veſtimenta* aliaſque res nonnunquam a jurantibus adhibitas (6), quoniam non juvat perfectum earum minutiarum catalogum exhibere, ſed religionis tantum in maxima miraculorum copia poſitæ indolem demonſtrare.

---

(5) Notiſſimum eſt, qualem honorem & vim generatim conviviis tribuerint veteres Germani, Tacitus *de mor. Germ.* c. 22. & de reconciliandis invicem inimicitiis & *jungendis affinitatibus* & *adſciſcendis principibus*, *de pace denique ac bello plerumque in conviviis conſultant*, *tanquam nullo magis tempore aut ad ſimplices cogitationes pateat animus*, *aut ad magnas incaleſcat.* Hinc non ſolum ipſi Principes & proceres inaugurandi & voto ſe adſtringentes ad perpetranda præclara facinora jurarunt per *ſcypha* ſ. cornua bibalia Diis ſacra, ſed & uſus confirmandi fidem datam poculis adhibitis in negotiis publicis, fœderibus & legationibus originem inde traxit. Immo & recepto chriſtianiſmo invaluerunt ſanctorum pocula, in eorumdem memoriam ac honorem ſolemnibus occaſionibus evacuanda. Conf. de eo jurandi modo De Weſtphalen *in monum. ined.* P. IV. p. 4.

(6) Heineccius *El. jur. germ.* L. III. t. 6. §. 221.

CAPUT II.

De origine & uſu hodierno jurisjurandi in cauſis publicis.

§. CII.

Uſus hujus religionis Germanorum antiquæ in cauſis & negotiis publicis, ubi major miraculorum fides præſentia quarundam rerum ſanctarum tributa jurisjurandi uſum quodammodo rariorem effecit.

QUod generatim ſupra obſervavi, ob notiſſimum de miraculoſo ac immediato Deorum influxu antiquorum hominum conceptum, nulla fere negotia niſi Diis ſolemnibus auſpiciis devinctis eos ſuſcepiſſe, neque ma-

(1) Hervar Saga c. 14. Mos obtinuit, ut verres omnium maximus deligeretur, pro felici rerum ſucceſſu atque uberiori annonæ proventu immolandus. Hunc verrem Rex dicebat tam ſanctum eſſe, ut peracto eius ſacrificio de cauſis omnibus graviſſimis recte dijudicare poſſent. Veſpera Juliorum ad Regem adducendus verres, compoſitiſque ſuper ſetas manibus vota concipiebant.

(2) Edda Myth. 36. Tacitus *de mor. Germ.* c. 10. *Et illud quidem etiam hic notum, avium voces volatuſque interrogare.* Quæ verba fruſtra inter tra-

giſtratus inter homines rudiores, regiminis expertes, fere aliter niſi Deorum voluntate variis ſacrorum generibus explorata & jurejurando præſtito adoptari ac ab aliorum injuriis ſecuros reddi potuiſſe, id & Germani veteres ſuo modo egerunt. Sed, uti innumeræ ſunt imaginationis ac ſuperſtitionis excurſiones totidemque etiam religionum rudiorum variationes; ita & Germanis ſua ſacrorum forma eſſe debuit. Jam vero id animadverti generatim, rerum quarundam ſanctarum præſentiæ & applicationi indubium ac phyſicum Deorum influxum & auxilium ſummamque vim eos tribuiſſe. Igitur Germani veteres non ſolum ante publicos conventus, *hoſtiis* oblatis, Deos placarunt (1), *aves* & *corvos* præcipue conſultarunt, quorum & ipſe Odinus duos habuit, quos emiſit, ut totum pervolent mundum ac revertentes omnia quæ viderint & audiverint in aures ei ſuſurrent (2); *hinnitum equorum* explorarunt (3) & variis *ſortium* generibus

---

latitias Romanorum fictiones ablegare ſtuduit Gebauerus *de jure Sacror. vet. Germ. In veſt. jur. germ. p.* 1009. ſq.

(3) Proprium gentis, equorum quoque præſagia ac monitus experiri. Publice aluntur iiſdem nemoribus ac lucis, candidi, & nullo mortali opere contacti, quos preſſos ſacro curru, ſacerdos ac Rex vel Princeps civitatis comitantur, hinnituſque ac fremitus obſervant. Nec ulli auſpicio major fides non ſolum apud plebem, ſed apud proceres, apud ſacerdotes. Se enim miniſtros Deorum, illos conſcios putant. Tacitus l. c. c. 10.

publice privatimque Deos adierunt (1): Sed neque iis experimentis contenti conventus ſuos jam ad *ſolis ortum*, *diebus fauſtis* ſub *dio* ac in *Deorum* conſpectu, electis ſemper *locis ſanctioribus*, *collibus*, *lucis*, *arboribus* celebrarunt (2). Ibidem non niſi cum *armis*, quæ tanquam infallacia auxilii divini vadimonia die noctuque immo & ad ulteriorem vitam migrantes circumtulerant, comparuerunt (3), vota armorum ſtrepitu dederunt (4); eadem publice propoſita aut terræ ſub crucis interdum effigie infixa tam in comitiis, quam reliquis conventibus judicialibus malliſque circum ſederunt (5). Prætermitto reliquarum rerum & rituum ſacrorum in rebus

(1) Tacitus l. c. c. 10. Auſpicia ſorteſque ut qui maxime obſervant. Sortium conſuetudo ſimplex; virgam frugiferæ arbori deciſam, in ſurculos amputant, eoſque notis quibuſdam diſcretos ſuper candidam veſtem temere ac fortuito ſpargunt. Mox ſi publice conſulatur, ſacerdos civitatis, ſin privatim, ipſe pater familias precatus Deos, cœlumque ſuſpiciens, ter ſingulos tollit, ſublatos ſecundum impreſſam ante notam interpretatur. Si prohibuerunt, nulla de eadem re in eundem diem conſultatio. Sin permiſſum, auſpiciorum adhuc fides exigitur.

(2) Tacitus c. 9. c. 39 & 40. Helmoldi *Chron. Slav. I.* 73. *apud* Leibniz. *Script. rer. Brunſv.* T. II. p. 606. Accidit autem, ut in tranſitu veniremus in nemus, quod unicum eſt in terra illa, tota enim in planitiem ſternitur. Illic inter vetuſtiſſimas arbores vidimus ſacras quercus, quæ dicatæ

publicis adhibitarum effectum inſignem. Id unicum adhuc addere licebit, *jurisjurandi in cauſis publicis* præſtiti uſum ideo rariorem fuiſſe inter veteres Germanos, quod partim ex magiſtratuum, quorum non niſi parvulum admodum numerum ac precariam auctoritatem admiſiſſe regiminis formulam conſtat, inopia, partim a ſimplicis *fidei ſanctitate*, maxime vero ab arctiſſima illa cum Diis conjunctione & inſigni *rerum ſanctarum* præſentium, geſta omnia dirigentium influxu derivandum eſſe cenſeo.

Occurrit tamen quidam jurisjurandi uſus quamvis admodum variabilis in *fœderibus* ictis (6). Juraſſe etiam *Principes* nonnun-

---

fuerunt Deo terræ illius Proven, quas ambiebat atrium & ſepes accuratior, lignis conſtructa, continens duos portus. Præter Penates enim & idola, quibus ſingula oppida redundabant, locus ille ſanctimonium fuit univerſæ terræ, cui flamen & feriationes & ſacrificiorum varii ritus deputati fuerunt. Illic enim ſecunda feria populus terræ cum flamine & regulo convenire ſolebant propter judicia. Dreyer *verm. Abh.* p. 689. ſq. multis.

(3) Tacitus c. 13. Nihil autem neque publicæ neque privatæ rei niſi armati agunt. Dreyer l. c. p. 193. ſq.

(4) Tacitus c. 11. Si diſplicuit ſententia, fremitu aſpernantur, ſin placuit, frameas concutiunt. Honoratiſſimum aſſenſus genus eſt, armis laudare. Gebauer l. c. p. 215.

(5) Dreyer l. c. p. 777. ſq.

(6) Tacitus c. 39. Herodotus L. IV. c. 62. Ge-

quam *Proceresque* electos probabile eſt (1). Maxime vero antiquiſſimis jam temporibus *Fideles* ſub nominibus *Comitum Solduriorum*, *Clientum*, *Devotorum*, *Ambactorum*, *Militum*, *Satellitum*, *Antruſtionum*, *Recommendatorum*, *Vaſſorum* paſſim occurentes *Senioribus* ſuis ac *Principibus* jurejurando, tactis præcipue armis præſtito, ſeſe obſtrinxerunt (2). Eo enim *reverentiæ* mutuæque *fidei* ac *confœderationis* nexu extra familiarum œconomiam omnem fere ſtatus ac regiminis publici formulam coarctatam fuiſſe conſtat.

§. CIII.

De juramentis publicis poſt receptam religionem chriſtianam eorumque uſu hodierno.

Recepto chriſtianiſmo, qualem nempe converſores illius ævi tradiderunt, inuentis magiſtratibus, aucta Procerum poteſtate, cognitiſque juris peregrini, Juſtinianei præſertim principiis, quod ingenti juramentorum copia refertum exſtitiſſe, ſupra ſatis ſuperque demonſtratum eſt, denique acce-

---

bauer l. c. p. 979. *Annales Fuld.* ap. Freherum *ſcript. rer. germ.* T. I. p. 37. Adam. Bremens. L. I. c. 33. apud Lindenbrog. *ſcript. rer. ſeptentr.* Dreyer l. c. pag. 183. Heumann *de ſacramento Gildoniæ.* Altorf 1744.

(1) Conf. Weſtphalen *monum. ined.* P. IV. Præf. p. 4.

(2) Tacitus *de mor. Germ.* c. 14. Cum ventum

dente Clericorum & canonum auctoritate, religionis multiplicatio maximam partem ſuperflua ſenſim quoque priſtinam ſimplicemque Germanorum fidem deſpicere ac quibuſcunque fere negotiis publicis ſeſe maxima importunitate ingerere cœpit.

Accelerarunt novam conſuetudinem aſſidui labores, ac indefeſſum *Clericorum* ſtudium, qui cum Germanos promiſſorum tenaciſſimos bene cognoverunt, a nulla facilius re, quam a juramentis, variis artibus emendicatis, proſperrima poteſtatis atque dominatus augmenta exſpectare potuerunt. Hinc non ſolum antiquæ jam Germanorum leges ſub Imperatoribus chriſtianis compilatæ, ſed & ſequentes plenæ ſunt variis juramentorum publicorum maximam partem e jure romano ac canonico depromtorum ſpeciebus. Inventæ quoque olim a *Romano Pontifice* variæ Religionis formulæ, reipublicæ & libertati Germanorum periculoſæ, atque ſyſtemati hierarchico ſolum accommodatæ, verum & jam dudum rejectæ & obſoletæ (3). Quoniam vero hæc omnia non tam ad illuſtrandam doctrinam de jureju-

---

in aciem, turpe Principi virtute vinci, turpe comitatui, virtutem Principis non adæquare. Jam vero infame in omnem vitam ac probroſum, ſuperſtitem Principi ſuo ex acie receſſiſſe. Illum defendere, tueri, ſua quoque fortia facta gloriæ ejus aſſignare, *præcipuum ſacramentum eſt.* Cæſar *de bello gallico* L. III. c. 22. VI. c. 15.

(3) Pfeffinger *ad Vitriarium* T. I. p. 885.

rando, quam potius Hiſtoriam Regiminis & ſtatus Germanorum publici ſpectant lubens ea prætereo. Id unicum mihi liceat, præcipuas *jurisjurandi promiſſorii publici* ſpecies *hodie* uſitatas, quorum quidem nonnullæ ab antiquiſſimis temporibus, plurimæ vero a tempore receptæ religionis chriſtianæ ac cognitarum legum peregrinarum originem trahunt, recenſere, vel potius nominare tantum, quum unumquodque fere peculiari commentatione indigeat. Notandum igitur eſt jusjurandum *Imperatoris* aut *Romanorum*

---

(1) *Capit. nov.* a. 30. §. 5.

(2) Quæſtiones ſunt: „ 1°. vis ſanctam fidem Catholicam & Apoſtolicam tenere & operibus juſtis ſervare? 2°. Vis ſanctis eccleſiis eccleſiarumque miniſtris fidelis eſſe Tutor ac Defenſor? 3°. Vis regnum a Deo tibi conceſſum ſecundum Juſtitiam prædeceſſorum tuorum regere & efficaciter defendere? 4°. Vis jura regni & imperii, bona ejuſdem injuſte diſperſa recuperare & conſervare, & fideliter in uſus regni & imperii diſpenſare? Vis pauperum & divitum, viduarum & orphanorum æquus eſſe judex & pius defenſor? Vis ſanctiſſimo in Chriſto Patri & domino Romano Pontifici & ſanctæ romanæ eccleſiæ ſubjectionem debitam & fidem reverenter *exhibere?* " Quibus ſingulis reſpondet coronandus: *Volo*, additque jurisjurandi formulam: *Omnia præmiſſa, in quantum divino fultus fuero adjutorio, fideliter adimplebo, ſic me Deus adjuvet & ſancta Dei evangelia.* Conf. Pfeffinger l. c. T. I. p. 884. Illuſtr. Moſer *Staatſr.* T. II. p. 467. Jo. Frid. Mœgling *de juram. publ.* Tub. 1739. §. 2. ſq.

Regis, quo Electus ante omnia *Capitulationem* firmat (1) quo ſolemni *coronationis* die & loco, antequam ipſi Diadema imponatur ad *quæſtiones*, ipſi a Conſecratore propoſitas Regimen concernentes reſpondet (2); dein, quod jam *Unctus* & *Cororatus* præſtat (3). Denique quod a Deputatis eccleſiæ Aquiſgranenſis rogatus jurat tanquam *Canonicus* ejus eccleſiæ (4). Jusjurandum ab *Electoribus* in ſolemni die, quo Imperatorem eligunt, præſtandum (5). Jusjurandum *ſecuritatis*, quod ante ſolemnem Electionis diem Colle-

---

(3) Formula ſecundi jurisjurandi hæc eſt: „ Profiteor & promitto coram Deo & Angelis ejus modo & deinceps legem & juſtitiam pacemque ſanctæ Dei eccleſiæ ſervare, populoque ſubjecto prodeſſe & juſtitiam facere, conſervare jura regni, ſalvo condigno divinæ miſericordiæ reſpectu, ſicut cum conſilio principum & fidelium regni atque meorum melius invenire potero, ſanctiſſimo Romano Pontifici & eccleſiæ romanæ, cæteriſque pontificibus & eccleſiis Dei condignum & canonicum honorem volo exhibere, ea etiam, quæ ab Imperatoribus & Regibus eccleſiæ & eccleſiaſticis viris collata ſunt & erogata, inviolabiliter ipſis conſervabo & faciam conſervari; Abbatibus & ordinibus & vaſallis regni honorem congruum volo præſtare & exhibere, Domino noſtro Jeſu Chriſto mihi præſtante auxilium, fortitudinem & decorum. Pfeffinger l. c. p. 885. Moſer l. c. T. II. p. 475.

(4) Formulam v. apud Moſerum l. c. p. 482.

(5) *Aurea Bulla* T. II. §. 2 & 3.

gio Electorali præſtatur a Magiſtratu civibusque & milite præſidiario civitatis, ubi Imperatoris Electio peragitur (1). Jusjurandum *fidelitatis* vaſallorum imperii eccleſiaſticorum & laicorum in inveſtituris feudorum throni coram Imperatore in ſolio ſedente, a reliquis vero vaſallis Imperii in judicio imperiali aulico præſtandum (2), quod & alii domini directi a vaſallis ſuis exigunt (3). *Homagium Civitatum Imperialium*, quod a civitate, ubi coronatio peracta, Imperatore præſente, in reliquis autem vel coram *Commiſſario Cæſareo* vel per mandatarium in *judicio imperiali aulico* præſtari ſolet (4); *nobiliumque immediatorum*, dum in leges ſuas equeſtres jurant (5). Juramenta, quibus tam *Principes eccleſiaſtici* quam *ſeculares* nonnunquam ad quævis ſtatuum provincialium & ſubditorum jura legitime

(1) *Aurea Bulla* T. I. §. 24.

(2) *Capit. nov.* a. 11. §. 3. Formulam vid. apud Lunig *in corpore jur. feud.* T. I. p. 93.

(3) Conf. tamen ill. Moſerus *von der teutſchen Lehns-Verf.* p. 551. 799.

(4) Formulam v. apud Faberum *Staats-Canzley* T. 32. p. 567. Pfeffingerum l. c. T. II. p. 985. tr. *Von der Huldigung, ſo die Reichs-ſtädte einem neuerwehlten Röm. Kaiſer ablegen Frankf. und Leipzig* 1746.

(5) Ill. Pütterus *Inſt. jur. publ.* §. 52.

(6) Conf. formulas & exempla apud Buderum *in Diatriba de juramentis principum eccleſiaſticorum* §. 16. De hujuſmodi Principum laicorum Reverſalibus jurejurando confirmatis vide ill. Moſerum *von*

time quæſita, pactaque cum illis inita, præcipue etiam intuitu religionis ſancte ſervanda ſeſe ante regiminis gubernacula ſuſcepta per *reverſales* obligant (6). Jurata *capitulationum* confirmatio a pluribus *Principibus eccleſiaſticis*, capitulis edenda (7). Jurata *fidei profeſſio*, nec non jusjurandum *fidelitatis* Pontifici Romano a Præſulibus Catholicis præſtare ſolitum (8). Jusjurandum, cui *Judices* ac *Aſſeſſores* ſummorum Imperii Dicaſteriorum & officiales ſubjiciuntur (9). Jusjurandum, quo *Directores* ac *Conſiliarii*, a Nobilitate immediata electi ante ipſam officii adminiſtrationem ſeſe obſtringunt (10). *Homagium* (*Huldigung*), quod in ſingulis Germaniæ territoriis domino territoriali præſtari ſolet tam a civibus ſubditiſque noviter receptis, quam etiam a reliquis, quoties novus ſucceſſor gubernacula accipit (11). Jusjurandum, quod

der Landshoheit im Geiſtl. p. 345 ſqq. Kahl *de juramento Principis.*

(7) Buder loco citato §. 2. *De abuſu hujus juramenti* V. Ayrer *de abuſu juramentorum* p. 63. Struben *Nebenſt.* P. I. n. 1. §. 12.

(8) Lunigius *Spicil. eccleſ.* P. I. p. 513. Buder l. c. §. 17. *De jurejurando fidelitatis Pontifici M. præſtando varias ſententias & controverſias exhibet* Buder l. c. §. 19.

(9) *Conc. Ord. Cam.* P. I. tit. 71. ſqq. *Reichshofrathsordnung* T. 7. §. 21.

(10) *V. fränkiſchen Ritterordnungen* P. II. f. 2.

(11) Conf. de eo Moſerus *von der Landeshoheit in Anſehung der Unterthanen Perſonen und Vermögens* p. 46. cum auctoribus ibi citatis.

Judices ac *officiales* cujuſvis ordinis (1), etiam *tutores* & *curatores* (2) intuitu officii ipſis demandati præſtare ſolent, ſive ſolemniter, ſive promiſſione ſaltem ſtipulata manu loco jurisjurandi facta. Jusjurandum, quod in quibuſdam locis *cives novi* magiſtratui oppidano præſtare ſolent (3) intuitu jurisdictionis illi competentis. Jusjurandum, quod Magiſtratus *Academicus* vi juriſdictionis, ad eum ſpectantis a civibus *academicis* exigere ſolet (4). Jusjurandum, quo Domino *juriſdictionis patrimonialis civilis & criminalis* obſtringuntur ſubjecti (*Erb-Pflicht*) (5). Jusjurandum, quod interdum ſubditi *centenæ* ſubjecti præſtant alterius territorii Domino intuitu illius juriſdictionis (*Cent-Eyd*) (6).

---

(1) *De jud. crim. ſcabin. &c. juramento* v. C. C. C. a. 3. 4. 5. Conf. Moſerus *von der Landeshoheit in Juſtiz-Sachen* p. 124. Jo. Paul. Kreſs *de jure offic. & officialium.* Helmſt. 1732. Em. Corn. Jonge *de juramento judicum.* De maximo juramentorum officialium abuſu V. Ayrer loc. cit. §. 97.

(2) *Ref. pol. de a.* 1577. t. 32. §. 3.

(3) Luder. Menken *de jurej. civium.*

(4) Brukner *de juramento ſtudioſorum auſpicali.* Jen. 1725. Dan. Omeis *de jurej. ſpeciatim quoque acad. Alt.* 1700.

(5) Riccius *vom landſäſſigen Adel* c. 19. §. 41. Meiſter *vollſtändige Einleitung zur peinlichen Rechtſgelerſamkeit* p. 525.

(6) G. L. Bœhmer *de centena ſublimi* §. 28. *in Elect. jur. civ.* T. II. p. 365.

Bonorum profeſſiones jurejurando de *cenſu* accurate ſolvendo firmatæ (*Schos - Loſungs Eyd*) (7). Sacramenta *militum* (8). Quibus jurisjurandi publici hodie uſitati exemplis innumera alia magis particularia addi potuiſſent.

Magnam vero eorum partem ſuperfluam eſſe, nil juvare, plurimorum rationem originariam hodie ceſſare, ideoque generatim eam religionis applicationem hodie, quantum fieri poteſt, evitandam & reſtringendam eſſe, ſupra jam ſatis docui (§. 11.) atque etiam ab aliis toties inculcatum & repetitum eſt ad nauſeam uſque, ut carmen tam tritum recantare haud lubeat (9).

---

(7) V. Ayrer l. c. p. 77.

(8) Moſer *von Militär-Sachen* p. 127.

(9) V. generatim Ayrerum in tract. ſæpe citato de abuſu juram.



CAPUT III.

De effectu religionis Germanorum antiquæ in cauſis privatis maxime controverſis.

§. CIV.

Generalia de modo religioſo cauſas controverſas decidendi veterum Germanorum, maxime 1°. per ſortes 2°. per duella 3°. per alia experimenta phyſica 4°. uſus jurisjurandi proprie talis rarior.

QUO modo in negotiis publicis tractandis varie ſeſe exſeruit antiquæ Germanorum religionis indoles, eodem quoque in *cauſarum privatarum* præſertim *controverſarum* agitatione & deciſione conſpicua fuit. Nempe cum nulla antiquorum hominum ſocietas magiſtratuum judiciorumque vinculis inveniendis, firmioribus juſtitiæ regulis ſtabiliendis, atque probationum legibus eum in finem adornandis ſponte ac ſubito ſe ſubmiſit; tum profecto id multo minus a majoribus noſtris exſpectabit quiſquam, qui libertatis naturalis ſtudio, ingenii ferocia, ac legum civilium impatientia eos omnes alias gentes longe ſuperaſſe noverit. Eo fortior autem in tali animi habitu rerum præternaturalium fuit effectus, ac qualitatum occul-

tarum credulitas (1), quæ ſemper eodem fere gradu procedit, quo rudior intellectus a naturæ legibus ac motibus indagandis adhuc remotus eſt. Hinc & Germani veteres cauſas controverſas maxime Deorum Judiciis modo miraculoſo decidendas ſubjecerunt, immo, quo magis ea gens fide & opinionum ſemel conceptarum tenacitate reliquas gentes ſuperavit, ad eo majorem eandem in cauſis controverſis finiendis opinionem certitudinis & evidentiæ gradum evehere ſtuduerunt.

Ergo inter pactum jurisjurandi, Romanis veteribus eum in finem ſolemne, & Germanorum religionem inſigne deprehendi diſcrimen. Cum enim Romani jurejurando eo modo uterentur, ut quis ſub conditione jurisjurandi alteri delata, jus ſuum remitteret, & vindictæ divinæ, in adverſarii caput ruentis, ſpe & exſpectatione contentus eſſet, quali vindictæ voluptate deferens, denegata ulteriori actione, quodvis damnum paſſum compenſare debuit, Germani contra aliam viam inierunt, & religionem ſuam ita applicarunt, ut nocens in inſtanti miraculo quodam a Diis monſtraretur, & eo modo ſignatus ſolveret atque debitum præſtaret.

Neque Germani cum futuro tantum ac incerto, quem Romani in hac adhuc vita e temerario jurisjurandi uſu exſpectarunt,

---

(1) De artibus Germanorum magicis v. ven. Schüze *in den Schutzſchriften* P. I. p. 283. ſq multis.

vindictæ divinæ, malorum phyſicorum inflictione oſtendendæ, eventu contenti fuerunt, ſed elegerunt experimenta ſecundum illorum opinionem certiſſima & infallibilia. Nempe partes litigantes in talia pericula conjecerunt, ut innocens tantum ac juſtus inde ſalvus evadere putaretur. Et profecto tali cauſas controverſas decidendi methodo certius evidentiuſque nihil exiſtere potuit, quamdiu oraculum divinum ſubeſſe creditum. Spectant huc varia illa probationum, ſub *vulgarium* cognomine notiſſimarum genera, quarum primam originem non demum a notiſſimo miraculorum ſtudio, converſoribus Chriſtianis ac monachis olim proprio, ſed potius ab antiquiſſimis & ethnicis jam temporibus derivandam eſſe, certum eſt.

---

(1) Tacitus l. c. c. 10. quem locum etiam eleganter illuſtravit Gebauer *in veſtig. jur. germ.* p. 998. Ulterius vero *vom Loſs - Gericht* agit Dreyer l. c. pag. 873. De Weſtphalen *mon. ined.* T. II, p. 651.

(2) Quæ enim Tacitus c. 10. refert: *Eſt & alia obſervatio auſpiciorum, qua gravium bellorum eventus explorant. Ejus gentis, cum qua bellum eſt, captivum, quoquo modo interceptum cum electo popularium ſuorum patriis quemque armis committunt. Victoria hujus vel illius pro præjudicio accipitur;* ea verba non ſolum de caſu ſingulari, ſed potius de generali conſuetudine etiam in cauſis privatis decidendi frequentiſſima ſatis ſuperque teſtantur.

(3) Generatim de hiſce probationibus egerunt Becmann *de judiciis Dei.* Frid. Klein *de probatio-*

Et quidem I. *Sortes*, quas non tantum in cauſis publicis ſed & in privatis a quovis patrefamilias adhibitas fuiſſe, notum eſt (1); II. *Duella*, quæ non demum a tempore religionis chriſtianæ receptæ, ut quibuſdam viſum, ſed ab immemoriali jam ævo in vim ejus probationis, ut ſuccumbens cauſa caderet, a Germanis ſub Deorum præſidio adhibita fuiſſe, vulgatum eſt (2); III. reliquæ probationes vulgares (3) per judicium *crucis*, per judicia *ignita*, *ferra candentia* & *aquam fervidam*, per alia *judicia aquatica*, &c. Quæ experimenta omnia pro ſimplici rudiorum hominum imaginatione ad eum finem comparata erant, ut qui periculum ſuſceptum ſalvus ſuſtineret, a Diis ipſis pro innocente declaratus putaretur. Verum IV.

---

ne per aquam & ignem. Eb. Rud. Roth *de more, quo rei olim apud pleroſque Europæos populos per ferrum candens, ardentes prunas rogumque innocentiam probabant.* Caſp. Lœſcher *de probatione rerum dubiarum per ignem facta.* Guſt. Henr. Mylius *de purg. Sax.* Phil. Leitersberger *de ordaliis ſ. purgatione vulgari.* Hauſchild l. c. pag. 187. ſq. I. H. Bœhmer *de prob. in crim. ſpur.* §. 10. & I. E. P. T. V. p. 598. Sahme *vom ganz auſſerordentlichen beweiſs in Rechts - Sachen. In den kl. Schrifften* p. 126. Wachter *Gloſſ. voce ordal.* Muratorius *de experimentis veterum ad ſcrutandum hominum crimen ſ. innocentiam, Ant. Ital.* T. III. n. 38. 39. Weſtphalen *mon. ined.* T. IV. p. 1386. Grupen *Hannov. Anzeigen.* P. I. p. 679. Dreyer l. c. p. 829 ſq. multis.

cum hoc modo Deorum oracula non exorarunt ſed potius ipſo facto extorſerunt, atque ſuppoſita hujus religionis fide aliud lites expediendi remedium magis certum ac expeditum cogitari non potuit, jurisjurandi uſum rariorem in cauſis controverſis inter veteres Germanos ante religionis chriſtianæ receptionem & juris peregrini cognitionem extitiſſe, facile exiſtimandum eſt, quamvis illius applicationem non plane incognitam fuiſſe, lubenter concedam.

§. C V.

Uſum hujus religionis in cauſis controverſis promoverunt I. libertatis naturalis conſervandæ ſtudium ac judiciorum inopia.

Miror tamen, fuiſſe nonnullos, qui cum illum probationum vulgarium uſum & judicia divina maximam partem ad monachorum tantum inventa retulerunt, fœdiſſimam rerum antiquarum ignorantiam prodentes, quavis occaſione in ſervile, ut quidem vocarunt, veterum Germanorum ingenium maxima injuria invecti ſunt, quaſi ſimilis regularum judicialium rationalium neglectus in nulla alia gente antiqua unquam extiterit. Niſi tamen plane cœci fuiſſent illi commentatores, profecto majores noſtros in eadem via, quam Romani & alii antiqui homines ab initio ingreſſi ſunt, facile deprehendere potuiſſent.

Nempe I. eadem, quæ inter veteres Ro-

manos pactum jurisjurandi progenuit ratio, etiam Germanorum religionem ad cauſas controverſas traxit, judiciorum ſcilicet humanorum inopia & impatientia, quoniam homines antiqui recentem libertatis naturalis ferociam ſpirantes, eo magis vero ab occultis viribus timentes, Deorum judicio aut fato quodam regi ſemper maluerunt, quam aliorum conſimilium hominum voluntati quamvis rationabili, neceſſitate quadam cogente, ſubjici. Immo & in hoc capite germanicum libertatis ſtudium præ ceteris conſpicuum fuit, cum divinam voluntatem in ipſa duellorum bellique privati facultate explorarunt, cujus igitur exercitium eorum ingenio ſemper cariſſimum cum ipſa religione arcte conjunxerunt.

§. C V I.

II. *Maxima Pontificum in cauſis quoque civilibus Auctoritas.*

II. Altera illius auctoritatis inſignis, quam in cauſis controverſis Germanorum religio exercuit, ratio ſine dubio ad maximam Pontificum in rebus publicis ac privatis dirigendis poteſtatem referenda eſt, quæ cum, ut ſupra docui, inter Iſraelitas ac Romanos aliaſque gentes magna ſemper fuit temporibus antiquiſſimis & quævis officia ſacra & profana fere comprehendit; tum præ reliquis conſpicua & præclara fuit inter veteres

Germanos (1). Ratio hujus conſuetudinis in promtu eſt. Scilicet nulla alia res efficacius multitudinem regit. Alioqui impotens, ſæva, mutabilis eſt. Ubi autem vana religione capta, melius vatibus quam ducibus ſuis paret. Hinc *Othinum* (juniorem) tradiderunt, ſacrificiis præfeciſſe Sacerdotes XII. ex ſenioribus, qui gubernarent ſacra & controverſias & cauſas incolarum dijudicarent (2). Ergo Sacerdotes, quibus Dii ipſi voluntatem ſuam explanarunt, tantam habuerunt auctoritatem, ut quicquid illi ſuaſiſſent, juſſiſſentque, quaſi de cœlo ſonuiſſet, Rex & populus alacres exequerentur. Ita vero Deorum conſcii *auſpicia* in conventibus publicis adornarunt, & *ſi Dii prohibuerunt*, nulla de eadem re in eundem diem fieri *potuit conſultatio* (3). Porro ſilentium ibi per *ſacerdotes, quibus tum & coercendi jus erat*, imperabatur (4).

Dirigebant etiam diſciplinam militarem. *Neque enim animadvertere, neque vincire, neque verberare quidem niſi Sacerdotibus permiſſum*, non quaſi in pœnam, ſed velut Deo imperante, *quem bellantibus adeſſe credunt.* Immo *abſque Druidibus nihil fas erat Regibus exſequi*,

(1) De magna Pontificum apud veteres Germanos auctoritate vid. loco omnium Gebauerum l. c. p. 954. De Weſtphalen *mon. ined.* T. IV. p. 62 ſq. Dreyerum l. c. p. 616 ſq. Idem *Anmerk. zum Gedicht Reinke de Voſs* p. 77 ſq. Fiſcher *Geſchichte des Deſpotiſmus in Teutſchland* p. 51. Schüze l. c. p. 90 ſq.

ac ne conſultare quidem, *adeo ut re ipſa regnarent Druides*, *Reges autem quaſi eſſent ipſorum Adparitores atque miniſtri in exequendis decretis* (5). Imprimis autem *de omnibus* controverſiis *publicis* & *privatis* conſtituerunt, & ſi quod eſt admiſſum facinus, ſi cædes facta, ſi de hæreditate, de finibus controverſia fuit, iidem & decernebant *præmia*, *pœnaſque* conſtituebant. — Ii etiam certo anni tempore conſidebant in luco conſecrato. Huc omnes undique, qui controverſias habuerunt, conveniebant, eorum *judiciis decretiſque* parebant (6). Eoſdem quoque varia illa probationum genera ac judiciorum divinorum oracula direxiſſe, vel e ſola *ſortium* applicatione a pontificibus facta apparet. Quid quod jam tunc temporis eo uſque progreſſa fuerit eorum poteſtas, ut *ſi quis* aut *privatus* aut *publicus* eorum decretis non ſtetit, *ſacrificiis* interdicerint. Hæc pœna apud eos graviſſima. Quibus ita interdictum erat, ii numero impiorum & ſceleratorum habebantur; ab iis omnes decedebant; aditum eorum ſermonemque defugiebant, ne quid ex contagione incommodi accipiant, neque his petentibus jus

---

(2) Snorro *Sturlæſon*, *in chron. Norvag.* P. I. p. 9. Jacob Wilde *Suetiæ hiſt. pragm.* c. 2. §. 30. n. 7.

(3) Tacitus *de mor. Germ.* c. 10.

(4) Tacitus l. c. c. 11.

(5) Chryſoſt. *orat.* c. 49.

(6) Cæſar *de bello Gallico* L. VI. c. 13.

reddebatur, neque honos ullus communicabatur (1).

§. CVII.

Mutato reip. ſtatu ac inventis magiſtratibus priſtinum tamen proceſſum religioſum in ipſa judicia tranſpoſuerunt.

Mutato poſt notiſſimas gentium migrationes Germanorum *ſtatu publico*, aucta *procerum poteſtate*, ac inventis ſenſim ſenſimque *magiſtratibus*, denique adornata certiori *judiciorum forma*, eadem, qua Romani quoque judiciorum vinculis paulatim aſſuefacti ſunt, arte opus fuit, ut regulis quibuſdam judiciariis ſeſe ſubmitterent. Sicut enim generatim de hiſce Germanorum *judiciis* vulgatum eſt, *meris arbitriis* utroque partium conſenſu ſponte ſuſceptis per omnes proceſſus partes immo & in ipſa ſententiæ conceptione a Scabinis facta ea ſimillima fuiſſe, ita & priſtina probationum genera immediatum Dei judicium repræſentantia & effrenato libertatis ſtudio admodum accommodata, eos anxie ſervaſſe, atque inter judicia humana tranſpoſuiſſe invenimus. Mitto probationes per *ignem* & *aquam* diuturno uſu ſolemnes, & ad *duella* tantum provoco, tanquam clariora libertatis germanicæ ſymbola, quæ non ſolum in primis ac antiquis

(1) Cæſar l. c. L. VI. c. 13.

Jam legum germanicarum compilationibus, ſed etiam in legibus medii ævi multoties repetita, inſtar jurisjurandi litis deciſorii nonnunquam & a *teſtibus* ſibi invicem contrariis, potiſſimum vero a partibus inita, regulis perpetuis adſtricta eoque modo ſub ipſa judicum auctoritate & directione exercita legimus, qua quidem ratione majores noſtri naturali libertate cum religionis metu aſtute conjuncta, perfectiori ſenſu, quam Romani ſub jurisjurandi pacto in judiciis inito ſibi videbantur, gaviſi ſunt, quamvis ille procedendi modus Romanis ſolemnis per jurisjurandi delationem non tam ob pacti quam probationis indolem ſanæ rationi ac genuino judiciorum fini ultra primam eorum intentionem multo convenientior fuit. Recte igitur Monteſquieu ait: *Les Germains, qui n'avoient jamais été ſubjugués, jouiſſoient d'une indépendance extrême. Les familles ſe faiſoient la guerre, pour des meurtres, des vols, des injures. On modifia cette coutume, en mettant ces guerres ſous des regles, elles ſe firent par ordre & ſous les yeux du magiſtrat, ce qui étoit préférable à une licence générale de ſe nuire* (2). Recepto quidem *Chriſtianiſmo Clerici* omni ſtudio atque virium applicatione id intenderunt, ut hancce conſuetudinem ac præcipue eum procedendi modum, lites per duella finiendi, ipſis nonnunquam periculoſum, ſenſim e Germanorum foris pulſarent, in-

(2) Monteſquieu *Eſprit des loix* L. XXVIII. c. 17. add. Robertſon l. c. p. 73.

que duellorum locum *purgationum canonicarum*, rerum *ſacrarum* ac *reliquiarum tactu* peragendarum uſum, cui remedio itidem *judicii divini* immediati ac miraculoſi fidem variis artibus conciliarunt, ubivis introducerent, eaque ratione aucta *pœnitentiarum* & *abſolutionum* copia ſimul *poteſtatem eccleſiaſticam* extenderent.

Quibus tamen laboribus, quamvis in Germania admodum auctus fuerit jurisjurandi purgatorii uſus, impediri non potuit, quin iterum nonnulli *Principes*, præſcindendas perjurii occaſiones ac evitandum periculoſum jurisjurandi abuſum prætexentes, *purgationes canonicas* in quibuſdam ſaltem negotiis plane prohiberent, & *duellorum judicialium* applicationem illis præferrent. Ita, ut ſupra jam obſervavi, Duellorum judicialium uſus etiam inter Chriſtianos ad ſera uſque tempora propagatus eſt, uſque dum tandem pacis publicæ reiteratis conſtitutionibus, exculto magis magiſque juris romani ſtudio, erectis Imperii Dicaſteriis, denique morum cultura, e medio tandem ſublatus, inque illius locum ſanior probandi ratio, legibus romanis fundata, atque ſocietati civili politiori magis accommodata ſenſim ſuppoſita eſt.

CAPUT IV.

De origine & uſu jurisjurandi purgatorii.

§. CVIII.

De origine & conceptu purgationis canonicæ.

Cum in præcedentibus jam de modo probandi cauſaſque controverſas decidendi apud Germanos uſitato, variiſque miraculorum prodigiorumque experimentis peracto, primas lineas duxi, facile jam eſt originem & indolem jurisjurandi purgatorii, cujus & hodie plura, quam rationi excultæ ac ſaluti publicæ convenit, ſuperſunt veſtigia, indagare. Nempe præcipuos purgationis canonicæ natales Clericis quidem maxime Germanicæ originis deberi, illiuſque uſum Romanis incognitum plane fuiſſe tritum eſt & ab aliis ſatis ſuperque evictum.

Fuit tamen antea jam & ethnicis temporibus ea jusjurandum præcipue rerum ſacrarum tactu in cauſis controverſis præſtandi eoque divinum judicium modo miraculoſo explorandi ratio Germanis haud plane incognita. Igitur, mutata religione invectiſque monachorum traditionibus de reliquiarum virtute, phantaſia miraculorum cupida re vera doctrinam haud plane novam,

ſed novis tantum objectis dotatam accepit. Occurrunt frequentia illius veſtigia poſt Seculum III (1), quæ ſequenti tempore non ſolum innumeris ordinationibus legibuſque confirmata & ad nauſeam uſque repetita (2); ſed & in leges germanicas antiquas, poſt receptam religionem chriſtianam compilatas, omneſque ſequentes maxima prodigalitate tranſlata ſunt (3). Nempe cum Clerici generatim a prima patrum doctrina, omnem fere jurisjurandi uſum reprobante mox deſcivere, tum maxime Germanorum converſores, propagata inter eos religione chriſtiana, omnem operam novarunt, ut recenti religioni, quantum fieri potuit, ſtatum politicum omniaque negotia ſubmitterent. Inter eos vero labores ille profecto haud ultimus fuit, neque ad augendam poteſtatem eccleſiaſticam prætermittendus, ut nempe probationum in Germanorum judiciis hactenus uſitatorum ordaliumque numerum novo religionis prodigio augerent, aut potius tali miraculo propagato, priorem religionem nempe præcipue probationem vulgarem per duella ſenſim ſenſimque infirmarent. Quamvis enim ipſi monachi & clerici reliquis

(1) V. J. H. Bœhmerum l. c. §. 7 ſq. Du Freſne *Gloſſ. voc. jud. div.*

(2) Conf. jus canonicum C. II. qu. 5. & tit. *Decretal. de purg. can.* C. 2. qu. 5.

(3) Lex Sal. apud Georgiſch p. 133. Lex Rip. ibid. p. 151. Lex All. p. 215. Lex Boi. p. 329. Lex

reliquis etiam experimentis miraculoſis per aquam, ignem &c. novis fabulis magnam fidem conciliarunt, publice tamen ac in foro Pontifices non niſi purgationem canonicam inculcarunt (4) in eo conſiſtentem, ut nempe in quavis cauſa reo, ſub quo & actorem negantem intelligo, jusjurandum imponeretur, eoque, mediante reliquiarum aliarumve rerum ſacrarum tactu præſtito, Deus præſentaneum ederet miraculum, quo reus virtute quadam phyſica aut ad veritatis confeſſionem adigeretur, aut pejerans, indubia quadam ſive corporis ſive animi miſerie inflicta, modo miraculoſo proderetur.

Repræſentavit enim etiam nova hæc inventio *judicium divinum immediatum*, cum reliqua probationum germanicarum indole rudiori, ſi ad finem ſolum reſpicitur, amice conſpirans atque a cæteris Germanorum experimentis per ignem, aquam, duellum &c. factis, non niſi intuitu objecti modique, quo divinum myſterium exſerere ſeſe debuit, diſcrepans, cum nempe illud in probationibus vulgaribus per negationem auxilii divini in periculo, quo reus verſabatur, ſeſe oſtendit, ideoque recte Monteſquieu illud appellat: *preuve négative*; hoc

---

Friſ. p. 412. Lex Angl. & Werin. p. 450. Lex Sax. p. 454. Lex Wiſigoth. p. 1873. Lex Longob. p. 1041. & Capitularia innumeris locis.

(4) Bœhmer *de prob. in crim. ſpur.* §. 13. Gallade l. c. c. 7. C. 2. *qu.* 5. c. 20. C. 2. *qu.* 5.

vero factum quoddam poſitivum in pejerantem edendum exigebat. Hinc Auguſtinus ep. 76. inquit: *elegi aliquod medium, ut certo placito ſe ambo conſtringerent ad locum ſanctum ſe peregrinaturos, ubi terribiliori opera Dei non ſanam cujuſque conſcientiam multo facilius aperirent & ad confeſſionem, vel pœna vel timore compellerent. Ubique quidem Deus eſt, & nullo continetur & includitur loco, quia condidit omnia & cum a veris adoratoribus in ſpiritu & veritate oportet adorari, ut in occulto audiens in occulto etiam juſtificet & coronet. Verum tamen ad illa, quæ hominibus viſibiliter nota fiunt, quis poteſt ejus conſilium perſcrutari, quare in aliis locis hæc miracula fiant, in aliis non fiant? multis enim eſt notiſſima ſanctitas loci, ubi beati Felicis Nolenſis corpus conditum eſt, quo volui ut pergerent, quia inde nobis facilius fideliuſque ſcribi poteſt, quicquid in eorum aliquo divinitus fuerit populatum.* Clarius adhuc ſingularis illa, qua de perjurorum præſentaneis pœnis capti erant, ſuperſtitionis vis patet ex Alberti Magni vita S. Salvii: *tunc infelix ille* (cui juramentum impoſitum) *cum magno gaudio acquieſcens verbis ejus ad ſacrum ſancti pervenit ſepulchrum, injectaſque manus ſuas ſuper illud, cum audacia magna juravit, & peracto juramento ſtatim medius crepuit & diſrupta ſunt omnia viſcera ejus & per ſecretam alvi ejus naturam ſtercora proruperunt & ex oculis ejus & auribus & ore exivit ſanguis & cadens in terram factus eſt velut mortuus* (1).

(1) Bœhmer *de uſu jur. purg.* §. 13.

Extiterunt autem cauſæ variæ, quæ uſum purgationis canonicæ admodum promoviſſe mihi videntur. Nam eadem, quæ reliquis probationum vulgarium ſpeciebus fidem conciliavit, ratio, nempe maxima ingeniorum ſtupiditas & inertia, regularumque omnium rationalium, probabilitatibus inveniendis aptarum incuria etiam novum hocce prodigium facile adoptavit. Deinde, cum ſupra jam docui, reliquiarum traditiones nullibi facilius quam in Germania propagatas eſſe (§. 91.) immo jam antiquiſſimos Germanos non ſolum mortuorum memoriam ſed & alias res ipſis ſanctas jurando præcipue coluiſſe & adhibuiſſe, multa ſane non opus erat opera, ut & invictæ novæ huic religioni, rebuſque ſanctis denuo adoptatis mox idem honor eademque fides tribueretur. Acceſſit maxima Pontificum poteſtas apud Germanos adhuc gentiles conſpicua, qua etiam Clericis chriſtianis ſimul via parata erat, ubi & hæc doctrina facilius intrare poſſet. Antiquus probationum vulgarium modus nemini quam ipſis Clericis periculoſior eſſe potuit, quoniam ad tuenda eorum jura bonaque ſenſim acquiſita minime idoneus erat. Quibus addo inſignem pœnitentiarum occaſionem multiplicato jurisjurandi uſu datam, qua nulla alia res ad augendam poteſtatem Clericorum, vinculiſque eccleſiaſticis laicos detinendos aptior eſſe potuit. Quibus rationibus maxime effectum eſt, ut uſus purgationis canonicæ admodum augeretur. Et quamvis ſecundum ea, quæ in præcedenti

L 2

jam paragrapho docui, illi Clericorum labores eo non valuere, ut omnis duellorum applicatio ſimul everteretur, quoniam illi fini ingenium populi & inveterata conſuetudo, deinde quoque nonnulla veteris teſtamenti exempla, ut Duellum Davidis, a laicis, clericos imitantibus, obtorto collo huc tracta, obſtiterunt (1), purgatio tamen tanquam ordinarius lites decidendi modus in pleriſque judiciis adoptata & indefeſſis Pontificum ſtudiis adeo aucta eſt, ut, cum reliquis etiam probationibus vulgaribus uterentur, ſemper tamen purgatio canonica ſimul accedere deberet.

§. CIX.

De uſu antiquo purgationis canonicæ & genuina conſacramentalium indole.

Pergo nunc ad regulas quaſdam, quibus

---

(1) De eo laicorum dubio v. c. 22. C. II. *qu.* 5. ibi: „ Monomachiam vero in lege non aſſumimus, quam præceptam fuiſſe non reperimus, quia licet quoſdam iniiſſe legerimus, ſicut ſanctum David & Goliam ſacra prodit hiſtoria, nuſquam tamen ut pro lege teneatur, alicubi divina ſanxit auctoritas, cum hoc & hujuſmodi ſectantes Deum ſolummodo tentare videantur. "

(2) Jus prov. Sax. L. I. a. 7 & 18.

(3) Talem caſum exhibet I. P. S. a. L. I. a. 15.

(4) Vid. Leg. Wiſig. ap. Georgiſch. p. 1873. ibi: „ Judex ut bene cauſam cognoſcat, primum teſtes

præcipue adſtrictus fuit purgationis canonicæ uſus in antiquis Germanorum judiciis. Eas enim niſi ante oculos habeamus, de hodierna juramenti purgatorii applicatione vix rectum judicium ferre poſſumus. Igitur I. cum purgationi canonicæ miraculoſa probandi ratio indubia & maxime compendiaria ineſſet, ea regulariter in quavis cauſa præcipue *reo*, *ſi inculpata vita erat*, probationis vulgaris inſtar imponebatur, ſive *actor* nullas in medium protulit probationes, ſive etiam teſtibus aliiſve probationibus inſtructus apparuit, quoniam etiam illorum dicta purgatione rei finali everti potuerunt (2). Quæ huic regulæ obſtare videntur leges germanicæ, illæ non niſi ad caſus exceptos referendæ ſunt (3), aut peregrina jura intermixta produnt (4). Neque enim alia *judicii divini* natura eſſe potuit, quam ut eo, ſublatis quibuſcunque ambagibus, reliquarum, probabilitatum fides dubia ever-

---

interroget, deinde ſcripturas inquirat, ut veritas poſſit certius inveniri, ne ad ſacramentum facile veniatur. Hoc enim juſtitiæ potius indagatio vera commendat, ut ſcripturæ ex omnibus intercurrant & jurandi neceſſitas ſeſe omnino ſuſpendat. In his vero cauſis juramenta præſtentur, in quibus nullam ſcripturam vel probationem ſeu certa indicia veritatis diſcuſſio judicantis invenerit. In quibus tamen cauſis & a quo juramentum detur pro ſola inveſtigatione juſtitiæ, in judicis poteſtate conſiſtat." Romana quoque ſapit Edictum Theodorici ibid. p. 2228. „ Quoties aliquod negotium conſenſu liti-

tatur atque veritatis lux infaillibili modo appareret. Illa vero regula præter caſus quoſdam ſpecialiores exceptos (1) ſequentibus præcipue reſtricta fuit limitationibus.

Nempe purgatio rei ceſſavit 1°. ſi actor *chartam judicialem* proferre potuit, quæ effectu ſuo rei judicatæ ſimilis erat (2), 2°. ſi actor ad negotium quoddam in *judicio geſtum* provocavit, idque *Judicis duorumque* vel pro cauſarum diverſitate plurium *Scabinorum* aut *Mallenſium* teſtimonio demonſtrare potuit, 3°. ſi veritas cauſæ oculari inſpectione doceri potuit (3), & imprimis in *criminalibus* ſi *veſtigia delicti* ſupererant, & reus in *flagranti* viſus aut deprehenſus, ſi nempe clamor & reliqua ſolemnia rite obſervata (4) atque denunciationes eodem adhuc die factæ ſunt (5)

---

gantium aut ſententia judicis ſacramentis fuerit, diffinitum retractari non poterit, nec de perjurio agere cuiquam vel movere permittitur quæſtionem."

(1) Hauſchild l. c. p. 26. ſq. Heineccius l. c. L. III. t. 6. §. 203.

(2) Jus prov. Sax. P. I. a. 7. II. 24. 25. Jus prov. Suev. c. 222. n. 3.

(3) Gloſſa ad Jus prov. Sax. L. I. a. 15.

(4) Conf. loco omnium Dreyer *in den Anmerkungen zum Gedicht Reinke de Voſs* pag. 37. ſq. Hauſchild l. c. p. 167. Sufficiebat etiam ſi res furtivæ & raptæ apud reum deprehendebantur Jus prov. Sax. L. II. a. 35. 2°. Si arma, quibus delictum commiſſum, apud reum inventa. Weichb. Sax. a. 113.

(5) Jus prov. Sax. L. I. a. 70. Hauſchild l. c. p.

quo caſu actor cum ſex *conjuratoribus* veritatem facti juramento confirmare potuit (6), 4°. ſi cauſa præſertim criminalis ita comparata erat, ut ſive ob defectus aliarum probationum ſufficientium ſive etiam illis exiſtentibus ob gravitatem cauſæ ad *duellum* aliamve probationem vulgarem provocari potuerit (7), quamvis & cum ipſo duello purgationis canonicæ ſpecies conjuncta erat, quoniam quævis pugna jurejurando prævio initiabatur.

II. Formam purgationis peractæ rerum ſacrarum, quibus virtutem miraculoſam tribuerunt, tactu, præſertim tactis *reliquiis Sanctorum*, *S. S. Evangeliis*, *Altaribus*, quibus illa impoſita erant, *ſ. cruce*, *tumulis ſanctorum*, per ſortes ſacras &c. ſupra jam ſatis

---

169. Dreyer l. c. p. 67.

(6) Jus prov. Sax. L. I. a. 70.

(7) Locum præcipue habuit duellum 1°. in cauſa perjurii, *Jus prov. Alem.* c. 137. 2°. *proditionis*, 3°. *homicidii*, 4°. *incendii*, 5°. *latrocinii*, 6°. *ſtupri violenti*, 7°. *veneficii*, 8°. *fractæ pacis. Jus prov. Alem.* c. 163. 167. 168. 189. 190. ubi id præcipue ſupponitur, 1°. quod factum quæſtionis involvat pœnam mortis, 2°. quod in occulto commiſſum ſit, 3°. quod ob defectum aliarum probationum idonearum probatio non aliter poſſit fieri quam duello: *Jus prov. Sax.* L. I. a. 63. 64. ſq. ubi tamen in homicidio, cum alter ad defenſionis neceſſitatem provocat, probationibus etiam exiſtentibus agnatus occiſi ad duellum provocare potuit. Conf. Hauſchild l. c. p. 71. Dreyer l. c. p. 222.

ſuperque explicavi (§. 91.). Addo tantum *arma ſacrata*, per quæ non ſolum ante chriſtianiſmum receptum olim apud Germanos plurima juramenta, præſertim publica præſtita ſunt, ſed & poſt acceptam religionem chriſtianam purgationes canonicas, in regionibus præcipue ſeptentrionalibus antiqui moris tenaciſſimis ad ſera uſque tempora ſæpiſſime peractas eſſe accepimus. Denique etiam huc ſpectat modus judicium divinum per *Euchariſtiam* experiundi, eoque innocentiam ſuam probandi (1). Præfinitus etiam antea certus, quo jusjurandum præſtari debuit, terminus.

III. Supereſt, ut pauca tantum de notiſſima *conſacramentales* adhibendi conſuetudine adjiciam, qua neſcio an ulla re magis fœdiſſima clericorum illius ævi ignorantia, ac perverſa mores antiquos interpretandi & applicandi ratio prodatur. Nempe de antiquiſſimis temporibus notum eſt, majores noſtros plurimas controverſias, quamvis ad ſingulos pertinentes, ſemper ad totius familiæ jura & intereſſe numeraſſe, eaſque deinde ab integris familiis aut bello privato agitatas aut etiam ab arbitris ſ. judicibus ex utra-

(1) C. 23. C. II. qu. 5. Sæpe contingit, ut in monaſteriis furta perpetrentur, & qui hæc committunt, ignorentur. Idcirco ſtatuimus, ut quando ipſi fratres de talibus ſe expurgare debuerint, miſſa ab abbate celebretur, vel ab aliquo, cui ipſe Abbas præceperit præſentibus fratribus, & ſic expleta omnes communicent in hæc verba: *corpus Domini ſit*

que familia ſæpe terminatas eſſe. Hinc Verelius *ab ultimis*, inquit, *retro temporibus moris fuit apud majores noſtros, in omnibus controverſiis dijudicandis, tam in infimo foro, quam intermedio & ſummo præter præſidem — XII. ſelectos viros adhiberi, quorum conſeſſus Næmd dicitur, a ſelectis ſcilicet illis judicibus, qui ab utraque litigantium parte nominabantur. Poſtea deprehenſum magis ex uſu eſſe, non requiſita litigantium nominatione XII. hos judices conſtitui auctoritate publica non in cauſas ſingulas ſed omnes judicandas, ita tamen, ut litigantibus integrum eſſet, hunc vel illum excipere* (2). Igitur introducta judiciorum forma magis ſtabili, id tamen Germanis ſolemne ſemper manſit, ut etiam circa ſingulorum controverſias integræ familiæ in judiciis ordinariis comparerent, eaſque perſequerentur.

Introducta vero purgatione canonica Clerici haud contenti fuere, eam litigantibus principalibus imponi, ſed, ut cum illis ſimul alii *conſacramentales*, quorum numerus pro cauſarum & regionum diverſitate varie a II. uſque ad XLVI. & ultra interdum definitus eſt, & quidem agnati, hiſce vero deficientibus peregrini de credulitate jurarent,

---

mihi ad probationem bodie. De Gregorio Pontifice eodem modo ſeſe purgante vid. Lambertus Schaffnab. ad a. 1077. Heineccius *El. jur. germ.* L. III. *t.* 6. §. 238. Schmidt *de modo prob. innocent. per eucbariſtiam.*

(2) Verelius ad Hervarar Saga c. 14. Conf. Tacitus c. 26. Cæſar L. VI. c. 22.

voluerunt. Inde expreſſiones notiſſimæ: *jurare cum hominibus de ſuo genere, cum tertia, quarta, ſeptima, duodecima manu.* Quæ conſuetudo quam maxime irrationalis recentioribus demum temporibus plane everſa eſt.

§. CX.

Uſum jurisjurandi purgatorii quidem uſque ad noſtra tempora ſeſe propagaſſe, ſed rationi haud convenire, ideoque totum proſcribendum eſſe docetur.

Quamvis igitur ex origine jurisjurandi purgatorii quiſque æquus rerum æſtimator facillime reputabit, illud non niſi ſeculis barbaris atque gentibus nondum excultis obtrudi potuiſſe, & novo errore, clericorum aſtutia propagato, alios errores inveteratos everti voluiſſe, illud tamen, ut jam docui, non ſolum variis medii ævi legibus, ſed & Receſſibus Imperii ad recentiora tempora vergentibus (1), & legibus provincialibus (2) repetitum, Doctorumque Commentariis in cauſis civilibus & criminalibus tanquam tortura ſpiritualis corroboratum eſt (3).

---

(1) Receſſus Imp. de a. 1512. tit. *Von Gottsläſtern* §. *und nachdem* &c.

(2) *Nürnb. Reform.* tit. VII. Geſ. 9.

(3) Rutg. Ruland *de juramento purgationis*. Argent. 1648. Barth. Leonh. Schwendendœrfer *de juramento purgatorio*. Lipſ. 1675. El. Aug. Stryk *de juramento purgatorio in cauſis civilibus*. Kil.

Effecit tamen juris romani penitior cognitio & auctoritas magis magiſque ſuccreſcens, poſtquam ab illo novam probandi rationem, aliamque de juſta jurisjurandi in cauſis controverſis applicatione doctrinam, rationi magis convenientem accepimus, ut & jurisjurandi purgatorii uſus non amplius ea prodigalitate improvida applicaretur, qua priſtinis temporibus majores noſtri, miraculoſos eventus nimis ſectantes eo confugerunt. Igitur ex interpretum doctrina jusjurandum purgatorium locum magis ſubſidiarium obtinuit I. in *cauſis civilibus* ſi actor vel generatim illa pars, cui probatio incubuit, eam quidem quodammodo peregit & argumenta probabilia in medium protulit, ſed tamen ad ſemiplenæ probationis gradum haud ſufficientia (4), ſi is, qui ſemiplene probavit, perjurii ſuſpectus eſt, quo caſu reum ad purgatorium admittunt, eademque ratione judæum (§. 23.) qui haud plus quam ſemiplene probavit, a ſuppletorio excludunt, & adverſario purgatorium injungunt (5); demum ſi ſemiplene probans tantum de credulitate, illius adverſarius autem de veritate jurare poteſt, pur-

---

1694. Jo. Rupp *de purgatorio.* 1752.

(4) Arg. c. 36. §. 1. X. *de jurejur.* Canz *de probabilitate jurid.* §. 224.

(5) Berger El. Diſc. for. t. 32. obſ. 2. Beck *vom Recht der Juden* c. 16. §. 31. n. 2. Canngieſſer *Deciſ. Caſ.* T. I. dec. 136. n. 14. Claproth *Einl. in den bürgerl. Proceſs* §. 294.

gatorium ſuppletorio præferunt (1).

II. In cauſis criminalibus autem; ſi ob qualitatem delicti levioris tortura, quamvis ſufficientia indicia adeſſent, decerni non poteſt (2); ſi in delictis gravioribus, torturam cæterum admittentibus, ad neceſſarium probationum & indiciorum gradum aliquid deficit (3); ſi ob imbecillitatem, dignitatem, aliamve cauſam in tali conditione reus verſatur, ut torturæ ſubjici haud poſſit (4). Admittunt etiam nonnunquam purgatorium ante inquiſitionem ſpecialem ad ulteriores proceſſus ambages evitandas, quando nempe jam antea nil aliud, quam illius exactio præviderі poſſit, & ſimul ob rei dignitatem, officium aliamve cauſam examen articulatum nimium inferret præjudicium (5); probationem tamen pro avertendo jurejurando purgatorio reo concedunt (6). Præcipue

---

(1) Berger *in œcon. jur.* p. 1064. Leyſer *ſp.* 146. *med.* 6. & 142. *med.* 4.

(2) Meiſter *princ. jur. crim.* §. 570. Püttmann *elem. jur. crim.* §. 935.

(3) Bœhmer *ad Carpzovium qu.* 126. *obſ.* 6. Meiſter l. c. §. 751. Quiſtorp *Grundſäze des teutſchen peinl. Rechts* §. 758. Püttmann l. c. §. 936.

(4) Bœhmer *ad Carpzovium* l. c. obſ. 6. Quiſtorp l. c. §. 759. Püttmann l. c. §. 936.

(5) Bœhmer *in med. ad C. C. C.* a. 20. §. 18. Koch *Inſt. jur. crim.* §. 783. Quiſtorp l. c. §. 758.

(6) Bœhmer *ad Carpzov. qu.* 126. obſ. 7.

(7) De quibus v. Ludovici *de ſolemnibus juramentorum* c. I. §. 24.

(8) Claproth *im peinl. Proceſs* p. 163. extat in

quoque varia ſolemnia (7) ad augendum metum cum purgatorio in ipſo præſtationis actu conjungenda, & admonitionem de vitando perjurio, a miniſtris eccleſiæ præſentibus peragendam eſſe cenſent (8).

III. Præſtito jurejurando purgatorio, reum tam in cauſa civili, quam criminali abſolvendum eſſe, haud dubitant (9). Expenſas regulariter compenſandas (10), tum autem in criminalibus reum ad earum refuſionem condemnandum eſſe putant, ſi proprio facto ſuſpicionibus occaſionem dederit, aut purgato tantum dolo ob culpam tamen, adhuc pœnæ ſubjectus fuerit (11).

IV. Recuſato vero purgatorio, præter reſtitutionem expenſarum, reum in cauſa civili & criminali non capitali tanquam confeſſum condemnant, in capitali autem tormentis demum ſubjiciunt (12); quamvis equidem

---

Ejuſd. *ſummar. Proceſſen.*

(9) Koch l. c. §. 894. Quiſtorp l. c. §. 763. Püttmann l. c. §. 936.

(10) Harpprecht *de Expenſis victoriæ præſt. jurej. adjud. vel compenſandis. n.* 267. *ſq.* Interdum tamen actorem doli ac temeritatis convictum ad refuſionem expenſarum condemnat Leyſerus *ſp.* 88. *med.* 6.

(11) Quiſtorp l. c. §. 763. Claproth l. c. p. 163. Koch l. c. §. 996. Struben *rechtl. Bedenk.* I. 61. Meiſter dec. 64. conf. etiam Ge. Adolph. Schubarth *de condemnatione in expenſas jurisjurandi purgatorii comite.* Lipſ. 1721.

(12) Koch l. c. §. 894. Brokes *ſel. obſ. for. obſ.* 607. Claproth l. c. p. 163. Quiſtorp l. c. §. 764.

ob periculi ſimilitudinem neque ad tormenta fictam hanc confeſſionem ſufficientem putaſſem.

Denique V. præſtito etiam purgatorio in criminali quoque cauſa reſuſcitationem illius ob probationes & indicia, poſthac noviter emergentia, ſtatuunt (1).

Quicquid vero Praxi de purgatione canonica ſervatum ſit, ego tamen non ſolum eorum ſententiæ lubenter accedo, qui uſum jurisjurandi purgatorii in cauſis criminalibus e foris eliminandum, inque illius locum ſtatim aut abſolutionem ab inſtantia, aut pro re nata pœnam extraordinariam infligendam ſuadent (2), ſed etiam purgatorii applicationem generatim in cauſis civilibus plane omittendam eſſe cenſeo, & quidem ex ſequentibus potiſſimum rationibus.

Cauſa originaria purgationis canonicæ, modo, veritatem eruendi, miraculoſo ſuperſtructa, apud nos plane ceſſavit, & recte J. H. Bœhmerus ait: *hoc ſi Proteſtantes penitius ponderaſſent, & rationes ejus examinaſſent, minus proni forſan fuiſſent, in uſu ejus approbando præſertim in criminalibus. Conſtat enim, quæ ſit noſtrorum doctrina circa Sanctorum cultum, reliquiarum venerationem & miracula illis tributa; novimus, quæ dubia a noſtratibus moveantur contra judicia divina, quæ in eo collocari*

---

(1) Bœhmer *ad Carpzov.* qu. 116. obſ. 8. Quiſtorp l. c. §. 736. Püttmann §. 936.

(2) J. H. Bœhmerus *de uſu juram. purg. in crim.* §. 25. Jo. Sam. Frid. Bœhmer *ad Carp-*

ſolent, ut Deus extraordinario quodam modo occulta in lucem protrahat, & miraculo quodam nocentem deſignet. Ab hac doctrina alieni ſumus, nec tamen relinquimus concluſionem, quæ inde originem cauſam & fundamentum traxit (3). Actorem ſcilicet eum, qui facto quodam nititur, illud demonſtrare debere, ſana cuicunque ratio ſuggerit. Si igitur ille, quem leges poſitivæ exigunt, probabilitatis gradus aut plane deficit, aut ita comparatus eſt, ut ne quidem actor ad ſupplendum defectum jurijurando ſubjici poſſit, tum ne minima quidem adeſt ratio, cur reus modo plane ſuperfluo illud ſubeat, qualis potius jurisjurandi abuſus removendus eſt.

Ut uno ſententiam meam complectar verbo, leges romanæ omnia, quæcunque de recto jurisjurandi in cauſis controverſis uſu ſtatui poſſunt, ſub juramento aut a partibus aut a judice in ſupplendas probationes delato comprehendere, atque, ſi religionis ethnicæ reliquiæ illis paſſim intextæ, demuntur, ſub limitationibus in Lib. III. indicatis, unice applicandæ mihi videntur. Illæ vero purgatorium in cauſis civilibus & criminalibus ignorant. Jurejurando purgatorio manifeſtis perjuriis occaſio datur. Cum enim e. g. teſtis ab actore productus juratus ob qualemcunque defectum inſufficiens eſt ad

---

zov. qu. 116. *med.* 6. *Idem med. ad C. C. C. a.* 57. §. 6. Quiſtorp l. c. §. 757. Claproth l. c. p. 161.

(3) J. H. Bœhmerus l. c. §. 25.

probationem ſemiplenam gignendam, & reus, cui purgatorium imponitur, etiam jurat, tum plerumque alterutrum aut teſtem aut reum pejeraſſe, neceſſe eſt, quæ ſcandala, religionem ludibrio exponentia, evitanda ſunt.

Obſtat imprimis in cauſis criminalibus ſummus perjurii metus. Deinde ipſe purgatorii effectus in cauſis præſertim criminalibus admodum exiguus eſt. Ipſi enim Pragmatici negant, reum illud recuſantem in cauſis criminalibus gravioribus ad pœnam ordinariam condemnari poſſe, ſed tormentis demum ſubjiciendum eſſe putant. Aſt neque ad ea properabit ICtus providus, qui ob periculi ſimilitudinem nec poſteriori reſpectu fictam confeſſionem pro ſufficienti habebit. Ergo in fine parum ibi utilitatis præſtat purgatorii delatio. Denique retractatio cauſæ, purgatorio finitæ, maximis difficultatibus obnoxia eſt (§. 65.) quæ vero evitantur, ſi antea reus ab inſtantia tantum abſolutus eſt.

§. CXI.

De jurejurando minorationis.

Refero quoque inter purgationis reliquias jusju-

(1) Jus prov. Sax. L. III. a. 47.

(2) Conf. Chriſt. Juſt. Wideburg *de juramento minorationis ſ. minutionis*. Ienæ 1757. §. 10.

jusjurandum *minutionis*, quo nempe reus damni a ſe violentia expulſiva aut ablativa dati æſtimationem ab actore factam minuit (1), quod vero non niſi in quibuſdam *Saxoniæ* præſertim regionibus quodammodo hodie obſervatur (2) & Doctorum interpretationibus ita limitatum eſt, ut ſcilicet ſub eo nil aliud intelligant, quam jurisjurandi delationem ab actore deficientibus aliis probationibus factam, qua reus aut æſtimationem damni ab actore editam ſolvere aut jurejurando illam minuere cogitur. Hinc etiam ex Interpretum Sax. doctrina cum juramentis in judicio delatis pari fere paſſu ambulat. Concedunt illud Saxonum more non niſi ante litem pure conteſtatam, & quamvis relationem ob meliorem rei notitiam excludant, admittunt tamen probationem pro exoneranda conſcientia.

Denique tamen nec actoris probationem, juramento minutionis a reo præſtito, oppoſitam excludunt, immo pro re nata actori ſuppletorii facultatem adhuc concedunt, eaque ipſa principiorum juris germanici & romani confuſione, innumeris contradictionibus ſeſe implicant (3). Verum enim vero, cum in ipſa *Saxonia Electorali* aliiſque regionibus (4) jure recentiori juramenta minutionis plane abrogata, omniaque ad principia

(3) Conf. Wideburg §. 15; uſque ad finem.

(4) O. P. S. de a. 1724. t. 31. § 1. O. P. Altenb. de 1744. c. 19. §. 1. Cramer *Nebenſtunden* P. 98. p. 1.

juris romani de probationibus & jurisjurandi delationibus reducta ſunt, deinde ipſis Interpretum doctrinis illam jurisjurandi ſpeciem ita circumſcriptam accepimus, ut ſi contradictorias quaſdam theſes exceperis, a reliquis juramentis in foro uſitatis illa diſcerni vix poſſit, denique extra nonnullas Saxoniæ regiones jurisjurandi minorationis veſtigia rariſſima inveniuntur; rectius illud oblivioni traditur, quam juramentorum uſitatorum catalogo inſeritur.

§. CXII.

De jurejurando dandorum & reſpondendorum cum poſitionibus, quod reprobandum eſſe docetur.

Omnes autem haſce jurisjurandi ſpecies, incongrua juris germanici antiqui applicatione, perverſiſque canonum & gloſſatorum traditionibus ad recentiora uſque tempora propagatas, temeritate ſua ſuperare mihi videtur jusjurandum, quod vocatur *dandorum & reſpondendorum*, cum poſitionibus conjunctum, quod autem, cum noſtris temporibus in pleriſque Germaniæ territoriis aut expreſſis legibus aut non uſu ſapienter abro-

---

(1) Conf. e. g. *Zelliſche Ober-Appellations Gerichts-Ordnung* II. 8. pr. & Sect. I. §. 2. Stryk U. M. L. XI. t. 1. §. 40. ubi non uſum de Saxonia teſtatur.

gatum eſt (1), ne quid præteriiſſe videar, vel nominare tantum liceat. Ubi ſcilicet illa poſitionum facultas obtinet, tunc illi parti, cui probationis onus incumbit, ſtatim poſt litis conteſtationem conceditur, præcipua facti momenta articulis concipere; eoſque judici cum petito legali offerre, ut præfinito termino non ſolum porrigenti liceat, eos jurejurando ſive veritatis ſive credulitatis, quod vocatur *dandorum* confirmare, ſed ſimul quoque adverſarius ad eoſdem jurato reſpondere teneatur, quod appellant juramentum *reſpondendorum* (2). Recuſato jurejurando ficta confeſſio adeſt. Eo autem præſtito cauſa in eundem ſtatum redit, ac ſi utrinque juratum haud eſſet, quoniam illius jurisjurandi indoles a juramento calumniæ haud differt (3). Ideoque poſtea non ſolum ordinarias probationes, ſed & jurisjurandi delationes adhuc concedunt. Ex ea vero deſcriptione ſtatim intelligitur, poſitionum conſuetudinem cum jurejurando dandorum & reſpondendorum e diverſis juris domeſtici & peregrini principiis miſere conglutinatam eſſe. Nempe interrogationes in judiciis, Germanorum more celebratis, antiquis jam temporibus ſolemnes fuere; ab initio a judice ſolum, deinde vero & ſæ-

(2) Conc. ord. cam. L. I. t. 89. Rec. Imp. de a. 1654. §. 41 & 49.
(3) C. 2. de conf. in 6to.

pius a cauſarum Patronis factæ atque conceptæ (1).

Poſtquam deinde magis magiſque jurisjurandi calumniæ, ab utraque parte præſtandi neceſſitas, a Juſtiniano introducta, cum Romanorum legibus in fora migravit, interrogationes & reſponſiones nonnunquam ſub jurejurando fieri cœperunt. Ea deinde conſuetudo a Jureconſultis Sec. XII. in Italia leges peregrinas explicantibus, & diverſas plane Romanorum veterum interrogationes miſere in exemplum trahentibus (2), ad ſcriptarum poſitionum formam redacta, Pontificum decretis confirmata (3), denique a

---

(1) Ekard *de Interrogationibus in jure apud Germanos.* Ien. 1746.

(2) Gaſſer l. c. §. 3. ſq.

(3) C. 6. X. *de jurej. calumn.* c. 2. *de confeſſ. in 6to.* ibi: „ Si poſt præſtitum veritatis aut calumniæ juramentum reus vel procurator ipſius poſitionibus ab adverſario ſibi factis interrogatus juſſuſque a judice reſpondere, abſque rationabili cauſa recuſet aut nolit, ſeu contumaciter ſe abſentet, haberi debet ſuper iis, de quibus in eiſdem poſitionibus interrogatus extitit, pro confeſſo &c. " *Clement. ſæpe* de V. S. ibi: „ Quia poſitiones ad faciliorem expeditionem litium propter partium confeſſiones & articulos & ad clariorem probationem uſus *longævus* in cauſis admiſit, nos uſum hujuſmodi obſervari volentes &c.

(4) Jac. de Arena *de poſit.* Venet. 1584. Odofredus Beneventanus *de poſitionibus.* Franc. Curtius *de poſit. & interrog.* qui extant in Tr. Tr.

ſequentibus Interpretibus ſpiſſis voluminibus propagata (4); poſthac in ipſas Imperii leges juraque provincialia irrepſit.

Quoniam vero ea conſuetudine manifeſtis perjuriis via paratur, & illorum juramentorum applicatio nil juvat, cum illis etiam præſtitis omnia in priorem ſtatum redeant; denique inutiles litium protractiones & diſputationes circa poſitiones illas oriri ſolent; illarum lubricitas in aprico eſt, & poſitionum uſum cum juramentis conſuetis plane removendum eſſe, ſalvaque conſcientia hodie applicari haud poſſe a Noſtratibus jam dudum agnitum eſt (5).

IV. Michalorius *de poſitionibus.* Genev. 1665.

(5) Conf. loco omnium Claproth *in der Einl. in den bürgerl. Proceſs* §. 221.

CAPUT V.

Supplementa quædam ad doctrinam de jurejurando ex Germanorum legibus.

§. CXIII.

De Mennoniſtarum aſſeverationibus ſecundum Concluſum Viſit. Cam. noviſſ.

Quam ſupra de *Mennoniſtarum* aſſeverationibus loco jurisjurandi factis: *bey Mannen-Wahrheit*, (*fide boni viri*) ex principiis rationalibus fovi ſententiam, eis nempe cæteris paribus, jurisjurandi vim & effectum in judicio tribui debere (§. 7.) eadem nunc ſapienter concluſo viſitationis cameralis noviſſimæ d. d. 13. Oct. 1768. ad dubium cam. 1mum eo modo ſtabilita eſt: *Es wäre an Ihro Kaiſerliche Majeſtät und das Reich ein allerunterthänigſtes Viſitations-Gutachten ſeiner Zeit dahin zu erſtatten, daſs, wann bey dem Kaiſerl. Reichſcammergericht würkliche Mennoniſten Recht nehmen oder ſuchen, derenſelben Angelobung bey Mannenwahrheit als ein Eid anzunehmen, auch bey ſich ergebendem Falle als*

(1) Extat *in den Viſitations-Schlüſſen die Verbeſſerung des Kaiſerl. Reichs-Cammergerichtl. Juſtiz-weſens betreffend. Lemgo* 1779. p. 86. du-

ein Mein-Eid zu beſtraffen, und jenen ſolches vor den geſchehenen Angelobung jedeſmal zu bedeuten ſeye (1). (*Exhibendum eſſe ſacræ Cæſareæ Majeſtati & Imperio humillimum Viſitationis Cameralis concluſum eum an finem, ut quoties eorum Judicio Camerali Imperiali veri Mennonitæ agant vel conveniantur eorum aſſeveratio* fide boni viri *pro jurejurando ſit ac pro re nata perjurii pœnæ locum faciat, utque ipſi ante aſſeverationem hanc continuo ea de re admoneantur.*). Igitur, quoties ſive *Partes*, ſive *Judex* tali homini juramentum litis deciſorium aut calumniæ detulerunt, aſſeveratio *bey Mannen-Wahrheit* (*fide boni viri*) jurisjurandi ſolemnis vices & effectus ſubit, de quo profecto nemo queri debet, quoniam quivis eorum religionem novit, ideoque, dum cum tali homine contrahit, aut litem ſuſcipit, ſimul & religionis effectum prævidere & ſibi proſpicere poteſt. Reliqua tamen eorum *teſtimonia*, contra tertium in judicio prolata non plenam juramenti vim & effectum habere, ſed aliquali defectu ſemper laborare videntur, quoniam eo caſu ratio proxime allegata quodammodo deficit, quamvis cæteroquin talia teſtimonia injurata inter gravia veritatis juridicæ argumenta referri omnino poſſunt.

---

bium cam. v. ibid. p. 245. adde *die Anmerkungen über die Viſitations-Schlüſſe* ibid. p. 468.

§. CXIV.

Jusjurandum teſtium Germanis veteribus incognitum & e peregrino demum jure in eorum leges migravit.

De *teſtium* jurejurando primis temporibus & inter Germanos ethnicos certa veſtigia haud inveniuntur. Neque miror, cum provectior jam vitæ ſocialis & civilis gradus ſupponendus eſt, ut probabilitati juridicæ e teſtium effatis hauſtæ ac ad certum numerum definitæ ſeſe ſubmittant partes, ideoque ab initio teſtibus utrinque productis non tam probationis cauſa quam potius arbitrorum ac judicum inſtar uſi ſunt homines rudiores in ſimplici ac naturali ſtatu verſantes. Id enim obſervavi, olim præſertim inter Germanos difficulter judices ſeu arbitros a teſtibus diſcerni potuiſſe, quo alio tempore & occaſione ulterius explicare conſtitui. Carere etiam poterant judicum teſtiumque jurejurando ex ea ratione, quod locorum, ubi conventus celebrabantur & aliorum rituum ſanctitate aliunde ſatis proſpectum putabant. Ideo eadem fere ac judicum, erant teſtium requiſita, ſcilicet *paritatis* & *ceſpitalitatis* (1), damni ſimul reſarciendi curam continentia & poſt introductum quoque jusjurandum teſtimoniale diu cuſtodita. Quæ igitur in primis

(1) Dreyer *de ceſpitalitatis requiſito in teſtibus babil.*

legum germanicarum compilationibus occurrunt jurisjurandi teſtimonialis certiora veſtigia, ea ex Romanis & Moſaicis legibus eo demum migraſſe, ſupra jam obſervavi (§.78).

§. CXV.

Jusjurandum promiſſorium ob almam Germanorum fidem olim inter eos incognitum.

De fide nudorum verborum, etiam jurisjurandi religione haud munitorum, inter Germanos olim ſemper ſanctiſſima tot extant ſcriptorum veterum teſtimonia, omnibus nota, ut nemo dubitare poſſit, jurisjurandi promiſſorii uſum inter eos fuiſſe rariſſimum. Ita enim jam Tacitus refert: *Gens non aſtuta nec callida aperit adhuc ſecreta pectoris licentia loci. Ergo detecta & nuda omnium mens poſtera die retractatur & ſalva utriuſque temporis ratio eſt. Deliberant, dum fingere neſciunt. Conſtituunt, dum errare non poſſunt* (2). Clarius *idem* profert *fidei* Germanicæ teſtimonium ita conſpicuum, ut ipſe dubitet, num fides an potius pervicacia nominari debeat: *Aleam, (quod mirere) ſobrii inter ſeria exercent, tanta lucrandi perdendive temeritate, ut, cum omnia defecerunt, extremo & noviſſimo jactu de libertate & de corpore contendant. Victus voluntariam ſervitutem adit. Quamvis junior, quamvis robuſtior, alligari ſe ac venire*

(2) Tacitus *de M. G.* c. 22.

patitur. Ea eſt in re prava pervicacia: ipſi fidem *vocant* (1). Atque de Scythis jam eleganter ait Curtius: *Jurando gratiam Scythas ſancire ne credideris*, colendo fidem jurant. *Graecorum iſta cautio eſt, qui acta conſignant, & Deos invocant. Nos religionem in ipſa fide novimus, qui non reverentur homines, fallunt Deos* (2). Sed mitto notoriam hancce Germanorum virtutem, ab aliis ſatis ſuperque decantatam (3), cum in vulgus notum eſt, ea, quae ſequenti aevo in Germanorum fora atque negotia irrepſerunt principia perverſa de jurisjurandi promiſſorii uſu, vi, ac nova obligatione inde oriunda, neque Germanorum inventioni, neque Romanorum legibus, ſed unice juri canonico & Interpretibus deberi.

---

(1) Idem l. c. c. 24.

(2) Curtius *de reb. geſtis Alex. M.* L. VII. c. 8.

(3) Conf. Wer. Roleſinc. *in Ant. Sax.* L.I. c.72. Neque litteris neque ſigillis utebantur Germani, nec talia habebant, ſed ſimplici verbo ſiebant omnia abſque favore. Sic prior aetas Paganorum in moralibus virtutibus longe praeſtantior fuit quibuſdam Chriſtianis. Hertius *in paroemiis juris* n. 12. Moeſer *in der Oſnabr. Geſchichte* l. c. §. 52.

LIBER V.

De exiguo juris canonici uſu in doctrina de jurejurando.

CAPUT I.

De jurejurando promiſſorio perverſæ canonum traditiones.

§. CXVI.

Præjudicium vulgare de prærogativa juris canonici in doctrina de jurejurando impugnatur.

Qui hucuſque per tantas hominum, temporum atque opinionum religioſarum varietates doctrinam de jurejurando, ejuſque uſu hodierno perſecutus ſum, vereor, ne plurimorum riſui expoſitus ſim, vel eorum ſaltem, qui, cum juri canonico palmas atque prærogativam præ reliquis peregrinis legibus in ſubſidium apud nos receptis *circa jurisjurandi doctrinam* tribuunt (1), quoſvis labores va-

(1) Conf. H. Hildebrand *de prædria jur. can. præ*

nos atque inutiles reputabunt, ſi non ab illo fonte ordiantur, ſpernendos autem, ſi ea, quæ primaria tractatione digna videbantur, non niſi retorto vultu & leviter ſalutata animadvertent. Et profecto negare haud poſſum, primo obtutu nihil fere æquius exſpectari potuiſſe, quam in hac juriſprudentiæ parte cum eorum traditis conſpirare, qui eundem ac nos religionis cultum publice nuncuparunt. Verum enim vero, re propius conſiderata, præter ea, quæ ex peregrinis & Romanarum imprimis legum fontibus eo migrarunt, nil fere inveni, quod juſtam in foris noſtris applicationem mereri poſſet, niſi forſan eas ſententias huc referre volueris, quarum auctoritatem palleſcentem jamdudum plane exſtirpatam optavit bonus quiſque. Neque hoc prodigioſum eſt, cum optimam quoque religionem ad imaginem quam maxime deformem detorqueri poſſe, experientia docuit, ſi craſſa ignorantia, aut deſtinata hominum libido ea abutitur. Ne vero ultra fines evagetur animus, exiguum juris canonici uſum in hac doctrina brevi conſpectu demonſtrabo. Id tamen præmonendum cenſeo, in eo præſentem diſputationem minime verſari, quaſi generatim juris canonici uſum

---

jure civ. Altorfii 1697. Floerke *de prærogativa juris can. præ Juſtinianeo.* Ien. 1722.

(1) Illuſtr. Pütteri *Beyträge zum teutſchen Staats-und Fürſten-Recht.* P. II. p. 30. 53. 56.

(2) Ita de alio licet ævo aliiſque hominibus, ſed eleganter tamen diſſerit M. Frid. Ferd. Drück *Prof.*

apud Germanos in dubium vocare vellem.

Agnoſco interim receptionis errorem, reliquis etiam legibus peregrinis in ſubſidium adoptatis communem (1), felicem tamen illis temporibus, quibus feram ac rudem illam conditionem Germania deſerere cœpit, quæ, quamvis corpus roboret, animum tamen ad tantam inertiam deprimit, quantæ expellendæ non niſi externa quædam vis ſufficere poteſt (2). Sed cum in reliquis aliqualem, nullibi tamen uſum juris canonici magis exiguum, quam in præſenti doctrina deprehendi, ſi verum eſt, illud auctoritatem nullam habere, ubi conſcientiæ ac primis religionis principiis adverſatur (3). Nam quæ ibidem traduntur præcepta rationabilia, e. g. per idola atque creaturas jurandum haud eſſe, juramenta quævis ſuperflua & inutilia evitari debere; non valere jusjurandum tribus illis comitibus judicio, veritate & juſtitia deſtitutum; ac imprimis dolum, metum, errorem juramenta vitiare; tertiorum juribus præjudicium ac detrimentum jurejurando inferri haud poſſe; clauſulam rebus ſic ſtantibus ſubintelligi, & quæ ſunt reliqua ſuo loco jam indicata, ea omnia ita comparata ſunt, ut aut immediate ex ipſo jurisju-

---

Acad. mil. Wurtemb. in Diſſ. de virtutibus vitiiſque Homeri & Virgilii ex ſeculi ipſorum indole æſtimandis. Stuttgard. 1780. § 3.

(3) Conf. J. H. Bœhmer *de media via in ſtudio & applicatione juris can. Exerc. ad D.* T. I. p. 344. §. 11. ſq.

randi conceptu, principiis rationis excultæ & religionis chriſtianæ conformi, aut ſaltim e communi negotiorum humanorum indole profluant. Jam vero ſanctiſſimum jurisjurandi uſum non ideo, quod Patres antiqui, quorum ſententiæ canonicis legibus inſertæ ſunt, ita cenſuerint, ſtatuimus. Idem officium e ſana ratione & ipſa Chriſti doctrina tanquam puriori fonte ſecurius derivatur.

Præterea ipſæ leges canonicæ in practicis applicationibus ſibi haud quaquam conſtant. Quæ aliunde in jure canonico deprehenduntur principia, ad propiorem jurisjurandi in foris & judiciis applicationem ſpectantia, e. g. de jurisjurandi delatione, ſuppletorio, juramento calumniæ &c. ea omnia ex legibus romanis decerpta ſunt. Ergo cum ipſos fontes, unde illa originem trahunt, nempe leges romanas in foris adoptavimus, Pontificum Decretis, eadem repetentibus facile carere poſſumus. Reliqua omnia ibidem occurrentia inania ſunt & abſurda, atque partim primis religionis principiis adverſa.

Mitto, quæ de perverſa Clericorum a jurejurando præſtando diſpenſatione, de juramento per procuratores & in alterius animam, de foro eccleſiaſtico in cauſis juramentorum unice competente, de variis pœnitentiarum corporalium a perjuris agendarum gradibus, de juramentis quibuſdam publicis maxime periculoſis & dudum obſoletis paſſim inveniuntur, atque congruo jam loco indicata ſunt. Ne quidem jusjurandum purgatorium hodie in foro uſitatum ſecundum

regulas de purgatione, canonicis legibus ſtabilita, & unice miraculis ſuperſtructa, adhiberi poteſt, ſed a recentioribus demum Interpretibus ad formam quandam cautiorem redactum. Lubricitatem totius doctrinæ de jurejurando promiſſorio ejuſque nova obligatione, necnon de jurisjurandi relaxatione foro eccleſiaſtico canonicis decretis aſſerta, ſequentibus ulterius illuſtrabo.

§. CXVII.

Principia juris canonici de jurejurando promiſſorio.

Supereſt, ut de *jurejurando promiſſorio* canonum doctrinam vel quibuſdam ſaltem verbulis annectam, ubi ideo ſummo cum brevitatis ſtudio verſatus ſum, quoniam haud decere putavi, rerum obſoletarum vel oblivioni ſaltem proximarum memoriam magno apparatu revocare, bellique, a ſana ratione fere confecti ſuperfluos impetus denuo excitare. Nempe tota doctrina ad momenta ſequentia fere redit: ſcilicet I. Improbantur quidem recte juramenta promiſſoria *de re haud licita*, *vera & honeſta* præſtita (1). Quæ regula generalis id innuere videtur, omne jusjurandum ſequi naturam negotii principalis atque cum illius defectu aut infirmitate ſimul vitiari, breviter obligationem novam haud producere, idque eo magis, cum ſimul

(1) C. 26. X. *de jurej.*

alibi, conditionem negotii principalis & juramento ineſſe (1), clauſulam rebus ſic ſtantibus etiam in juramento ſubintelligi debere (2), & juramenta ad haud cogitata nunquam trahenda eſſe (3), neque juribus tertiorum præjudicium inferre poſſe (4), canones innuunt. Neque etiam primos Patres aliam ea de re ſententiam, a Romanorum principiis abhorrentem, foviſſe (5), ſupra jam demonſtravi. Poſtquam vero ſequenti tempore innumeræ cavillationum artes cum diſtinctione ſtatim ulterius explicanda inter actus ob ſalutem publicam aut favorem tantum agentium nullos ac invalidos obtinuerunt, tum illa regula admodum reſtringi atque ea tantum juramenta pro ipſo jure nullis ac invalidis haberi cœperunt, cum promiſſum juratum aut adverſus leges divinas impingeret (6), aut delictum proprie tale (7), vel ſaltem

---

(1) C. 25. X. *de jurej.*
(2) C. 25 X. *eod.*
(3) C. 20. X. *eod.*
(4) C. 21. X. *eod.*
(5) V. C. 1—23. C. 22. qu. 4.
(6) C. 19. C. 22. qu. 4.
(7) C. 1—23. C. 22. qu. 4. C. 18. X. *de jurej.* C. 23. X. *eod.*

(8) Sic e. g. ſecundum illa principia nulla & invalida judicantur juramenta *monachorum* clauſtra abjurantium c. 13. X. *de jurej.* juramenta *de non repetendis bonis eccleſiæ alienatis* c. 2 & 33. X. *de jurej.* juramenta *in detrimentum eccleſiæ vergentia*

tem ex illius ævi religione peccatum mortale involviſſet (8). Igitur hiſce caſibus ob juramenti nullitatem *abſolutio eccleſiaſtica* proprie talis haud neceſſaria erat (9), ſed *pœnitentia*, variis caſtigationum corporalium gradibus ſubeunda injungebatur (10).

II. Contra vero juramenta coacta, *vi*, *metu* aut *dolo* extorta, quatenus implementum promiſſi non in delicti, aliamve peccati mortalis ſpeciem vergeret, pro validis judicantur. Fingitur enim hoc caſu quamvis externo jure deficiente obligatio interna ergo Deum, voto ſimilis. Quoniam autem vicaria eccleſiæ poteſtas eo uſque extenſa eſt, ut de hiſce obligationibus contractis cognoſcere, eaque ipſa, quæ Deo debentur, ex probabili cauſa remittere poſſit, hinc etiam a juramentis coactis abſolvendi Clericis tribuitur poteſtas (11), ſi ob coactam voluntatem probabilis abſolutionis cauſa adſit.

---

c. 27. X. *eod.* pacta jurata *de præſtandis uſuris* c. 1. c. 20. X. *eod.* circa ea tamen inepta traditur cautela de ſolvendis uſuris & ſtatim repetendis c. 6. X. *eod.* juramenta *conjugum* ex levi & temeraria cauſa quoad thorum & menſam ſeſe ſeparantium. c. 24. X. *eod.*

(9) Ita juramentum, ſe ſervaturum patris monetam, quæ tamen falſa deprehenditur, ſimpliciter & ſine abſolutionis neceſſitate rejicitur c. 18. X. *eod.*

(10) C. 18. X. *eod.*

(11) C. 8. 15. 29. X. *de jurej.* add. c. 28. ob verba: *ſine vi & dolo præſtita.*

III. Denique omnia juramenta de negotiis, a legibus *principaliter* in *favorem partium* licet *ſecundario* ob *ſalutem publicam* infirmatis præſtita, ſervanda ſunt, ſi non vi nec dolo extorta, nec in alterius præjudicium vergant. Ita enim Innocentius III. ait: *Cum contingat interdum, quod conſtante matrimonio mulieres alienationibus ſuper rebus dotalibus & donationibus propter nuptias conſentiant, ne ulterius contraveniant proprio Sacramento firmando, ac ſoluto proceſſu temporis matrimonio contravenire nitantur —. Reſpondimus, quod etſi mulierum conſenſus in talibus non videatur obligatorius ſecundum legitimas ſanctiones, ne tali tamen prætextu viam contingat perjuriis aperiri, mulieres ipſæ ſervare debent hujuſmodi juramenta ſine vi & dolo ſponte præſtita, cum in alterius præjudicium non redundent nec obſervata vergant in diſpendium ſalutis æternæ* (1). Eodemque modo Bonifacius VIII. ait: *Quamvis pactum patri factum a filia, dum nuptui tradebatur, ut dote contenta nullum ad bona paterna regreſſum haberet, improbat lex civilis; ſi tamen juramento non vi nec dolo præſtito firmatum fuerit, ab eadem omnino ſervari debebit, cum non vergat in*

(1) C. 28. X. *ibid.*

(2) C. 2. *de pactis in 6to.*

(3) Seraph. de Seraphin. *de privilegiis juramentorum* Francf. 1679. Ant. Baverii tr. *de juram. virtute & viribus.* Ven. 1584. Ant. De Petrucia *de viribus juram.* Setſer *de juramentis* L. II. Steph. Lambertenus *de jurejurando præſt. in contractibus alias nullis.* Mediol. 1578. Mediam viam

æternæ ſalutis diſpendium, nec redundet in alterius detrimentum (2). Quibus præcipue Pontificum Decretis, perverſis plane, ut primo aſpectu patet, ideis ſuperſtructis, infelix illa doctrina de nova jurisjurandi obligatione ſenſim coorta eſt, cujus teterrimum in omnes jurisprudentiæ partes effectum, noſtris temporibus in variis quidem capitibus repurgatum, ſed nondum plane exſtirpatum ſupra jam notavi (§. 10.)

§. CXVIII.

Recenſentur quædam negotia legibus invalida, quæ adjecto jurejurando confirmari poſſe putabantur.

Effinxerunt nempe Interpretes, antiquiores præſertim, ingentem variorum negotiorum numerum, quæ a legibus quidem improbantur atque pro nullis aut invalidis declarantur, adjecto vero jurisjurandi vinculo ſecundum illam juris canonici regulam ſanari ac confirmari, tradiderunt (3), e quibus præter caſus, in legibus canonicis jam alle-

---

tenuerunt Jo. Mich. Rotermund *de jurej. actibus inval. adjecto.* Erf. 1737. Kaiſer *de efficacia jurisjur. in actibus invalidis & illicitis.* Gieſſæ 1736. Jac. Frid. Ludovici *de genuino intellectu brocardici vulgaris: omne juramentum ſervandum eſſe quod ſalva ſalute æterna ſervari poteſt.* Hal. 1705. J. H. Bœhmerus *I. E. P.* L. II. t. 24.

gatis, expreſſis verbis comprehenſos, ſpecimi-nis cauſa quoſdam tantum recenſebo. Scilicet ſecundum illam doctrinam confirmantur ju-rejurando adjecto contractus a *minoribus* initi etiam nulli (1), *interceſſiones mulierum* atque

(1) Chriſt. Wildvogel *de juramento actus pub. confirmante.* Ien. 1709. Godfr. Lud. Menken *de juramentis minorum & impub.* Vit. 1729. Celebris fuit controverſia de contractibus minorum juramento confirmatis inter Bulgarum & Martinum, cujus tamen ſententiam Imp. Fridericus I. notiſſimis Martini adulationibus permotus peculiari auth. inſerta tit. C. *Si adv. venditionem &c.* probavit: *Sacramenta puberum ſponte facta ſuper contractibus rerum ſuarum non retractandis inviolabiliter cuſtodiantur. Per vim autem vel per juſtum metum extorta etiam a majoribus, nullius eſſe momenti jubemus.* Cujus potiſſimum authenticæ auctoritate uſus juris canonici hac in doctrina admodum auctus eſt. Nempe jurijurando non ſolum ad effectum excludendæ reſtitutionis in integrum, uti nonnulli ob L. 1. C. *ſi adv. vend.* voluerunt, Mevius P. III. *dec.* 334. *n.* 8. Berger *Diſſ. jur. ſel. n.* 14. *de renunc. jur.* §. 7. ſed & ad confirmandos contractus eorum nullos vim tribuunt, v. Quiſtorp *von den eidlich geſchehenen Verſprechen und Verzichtleiſtungen der Minderjährigen. Beytr.* P. II. n. 8. p. 124. quæ etiam ſententia verior eſt, ſi ad doctrinam juris canonici perverſam & inde depromtam authenticam reſpicitur. Leges enim romanas huc minime trahi aut applicari poſſe, jam docui (§. 82.) requirunt tamen ob L. 1. C. *ſi adv. vend.* juramentum minoris *corporale*, & clauſulas tantum juratorias rejiciunt. Quiſtorp l. c. p. 131.

renunciationes SCti *Velleiani* in favorem mariti factæ (2); adduntur a quibuſdam Renunciationes SCti *Macedoniani* a *filiis familias* factæ (3); *Donationes* 500 ſolidos excedentes, ſine inſinuatione factæ, aut alias invalidæ (5);

---

(2) Tales autem legibus romanis auth. *ſi qua mulier* C. *SCt. Vellei.* in totum reprobari, plerique cenſent. Ill. Hellfeld *de interceſſione mulierum & SCto Vellei. opuſc.* n. 14. Tum vero eas validas putant ſi generalia renunciationis requiſita etiam in interceſſionibus pro extraneis neceſſaria acceſſerint, nempe 1°. certioratio ſpecifica beneficiorum, quibus renunciatur, 2°. renunciatio coram judice aut tribus teſtibus in inſtrumento publico facta L. 23. C. *ad SCt. Vellei.* deinde ſimul renunciatio beneficiorum ob interceſſionem pro marito facta jurejurando confirmata ſit. Claproth *Juriſpr. hevremat.* §. 244. Struben *rechtl. Bed.* P. II. n. 76. Quiſtorp *Beyträge* P. I. n. 8. p. 19. Quoniam vero neque renunciationes SCti Vellei. in interceſſionibus pro marito factis legibus romanis abſolute reprobari, demonſtravit J. H. Bœhmerus *de efficaci mul. interceſſione* c. 3. *Exercit.* T. III. n. 50. facile exiſtimari poteſt, ſi certioratio & reliqua requiſita acceſſerunt, ad ſuperflua & inutilia plane pertinere jurisjurandi adjectionem; ſed Praxi talis renunciatio ſine jurejurando facta pro invalida habetur.

(3) Carpzovius P. III. *dec.* 256. n. 31. Stryk *de caut. contr.* P. II. c. 1. §. 15. quibus tamen contradicit De Puffendorf T. II. obſ. 171. §. 1. & plures.

(4) Conf. Hellfeld *Juriſprud. for.* §. 1702. contradicunt tamen Ludovici Diſſ. cit. *de genuino intellectu brocardini vulg. &c.* §. 12. 13. 16. 17. Ayrer *de abuſu jur.* §. 40.

Tranſactiones de *alimentis futuris* initæ vel alias infirmæ (1); *Pactum commiſſorium* pignori adjectum (2); Sponſalia *clandeſtina* ſine parentum conſenſu celebrata (3). Inferebant porro jusjurandum, *chiropraпho* adjectum exceptionem non numeratæ pecuniæ excludere (4), jusjurandum *teſtamento* adjectum revocationem impedire (5), juratam *beneficiorum* renunciationem generalem beneficium l. 2. C. de reſc. vend. excludere (6), *locationem* jurejurando factam expulſionis facultatem evertere (7), juratam ſolutionis promiſſionem *compenſationem* excludere (8), quibus innumeri adhuc caſus addi potuiſſent. Verum ſi dicendum, quod res eſt, tota hæc doctrina, etiamſi cæterum juris canonici in hoc capite auctoritas agnoſceretur, ad ſuperfluas plane pertinet. Ipſi enim Interpretes in omnibus fere caſibus hucuſque recenſitis, quoniam expreſſis legibus haud nituntur,

---

(1) Brunnemann ad L. 8. C. *de tranſact.* Stryk *uſ. mod. eod. tit.* §. 11. contradicit Ludovici l. c. §. 11. Ayrer l. c. §. 45.

(2) Conf. Gailius L. II. obſ. 40. n. 4. ſq. verum illi ſententiæ non ſolum obſtat c. 7. X. *de pignor*, ſed & reliqua uſurariæ pravitatis, inter delicta jure quoque canonico relatæ, analogia. Stryk *in uſu mod. tit. de pign act.* §. 9. Ludovici l. c. §. 18. Claproth l. c. §. 212.

(3) Contradicunt tamen in hoc caſu & juramentum pro nullo declarant omnes fere, cæterum juris canonici principiis nimis indulgentes, multo magis autem reliqui. Conf. Ludovici l. c. §. 19. Ayrer l. c.

ſed tantum ex vaga c. 28. X. de jurej. & c. 2. de pactis in 6to. analogia derivantur, ſibi ipſi mire contradicunt, quoniam in eo, quid abſolute vel in favorem tantum agentium prohibitum cenſendum ſit, nunquam conveniunt, in qua tamen diſtinctione inutili ſolatium omne quærunt. Ergo *ICti recentiores* ſpuriam illam juris canonici applicationem fere deſerunt, & præter *contractus minorum* ob auth. Friderici: *Sacramenta puberum C. ſi adv. vend.* & juratas *mulierum*, pro maritis intercedentium, renunciationes, nullum fere caſum genuinum, ubi negotium invalidum jurejurando adjecto confirmetur, admittunt, quoniam reliqui caſus plerumque contra neceſſarios jurisjurandi comites *judicium*, *veritatem* & *juſtitiam*, ipſo jure canonico præſcriptos, impingere ſoleant.

---

§. 4. G. L. Bœhmer *princ. jur. can.* §. 390.

(4) Seraph. de Seraphinis l. c. priv. 60. n. 2. 5. contradicit Stryk *de caut. Contr. Sect.* 2. c. 7. §. 11 & plurimi.

(5) Quam tamen ſententiam acerbe jam exploſit Ant. Faber *Err. Pragm. Decad.* XXXIX. err. 2.

(6) Struv. *Synt.* I. C. Ex. 17. th. 26. contradicit tamen Ludovici l. c. §. 31.

(7) Quem errorem ſolide perſtringit Ayrer l. c. §. 41. not. *b.*

(8) Cujus dogmatis ineptiam peculiari jam diſſertatione demonſtravit Ludovici *de juramento compenſationem non excludente.* Halæ 1717.

§. CXIX.

Exempla quædam actuum per ſe validorum, olim tamen ex errore pro invalidis habitorum, quos jurejurando demum inutili adjecto confirmari voluerunt.

Supereſt, ut infelicem juris canonici in doctrinam de jurejurando promiſſorio effectum vel breviſſimis tantum cum talibus quoque exemplis doceam, ubi actus per ſe validos, ex errore vero inter prohibitos relatos, adjecto demum jurejurando, confirmari, voluerunt, quo ipſo vero maximus jurisjurandi abuſus commiſſus eſt. Pertinent huc *Pacta ſucceſſoria* atque *Renunciationes fœminarum illuſtrium nobiliumque* in favorem maſculorum, quoad ſucceſſionem in bonis avitis & fideicommiſſis familiæ; Renunciatio beneficiorum *fidejuſſoribus* compententium, generaliter facta; Tranſactiones *tabulis teſtamenti non inſpectis*; Pactum *de non præſtanda evictione*. Patet autem ex hiſce exemplis, quæ ingenti adhuc numero augeri poſſent, duplicem ibi errorem committi, & quidem unum, quum actus allegati ſine ratione pro invalidis habiti ſunt, atque alterum, quod, conceſſa quoque hypotheſi, eos per ſe haud valere, e jurejurando demum adjecto valor eorum derivatus ſit.

§. CXX.

Concluditur, nullam e jurejurando promiſſorio derivari poſſe obligationem novam, atque jus romanum canonico præferendum eſſe.

Ex hiſce vero omnibus jam facile judicium de proſcribendo juris canonici uſu in doctrina de jurejurando promiſſorio ferri poteſt. Cum enim ſupra jam ex principiis rationalibus ineptiam fictionis de nova obligatione e jurejurando oriunda demonſtravi (§. 10); ipſæ canonum traditiones, quæ mox ad quodvis juramentum tres illos comites judicium, veritatem & juſtitiam exigunt, mox autem varios iterum caſus, quibus & negotia, legibus invalida ſanari poſſint, effingunt, innumeris contradictionibus implicantur, atque conciliari invicem haud poſſunt; tota diſtinctio inter negotia abſolute & in favorem agentium invalida inter periculoſas cavillationes referenda eſt, quoniam leges, etiam de poſterioribus diſponentes, rationali fundamento, atque ſalute publica niti, cenſendum eſt, qui tamen finis, admiſſa perverſa illa jurisjurandi promiſſorii vi & applicatione, pro libero privatorum arbitrio everteretur; denique ea juris peregrini, in ſubſidium recepti capita, quæ manifeſtos errores fovent, religioni puriori adverſantur, atque jurisjurandi abuſum, quam maxime periculoſum inducunt, nos haud quaquam obligant, ſed potius rejicienda ſunt; equi-

dem tam generatim juris canonici, quam ſpeciatim authenticæ Fridericianæ, ſeculo obſcuro notiſſimis Canoniſtarum adulationibus emendicatæ, applicationem hac in doctrina nego atque pernego, & potius ſecundum principia juris romani, juramentorum valorem unice ſecundum eorum negotiorum, quibus adjecta ſunt, indolem æſtimandum eſſe, cum Thomaſio, Ayrero (1) aliiſque contendo.

---

(1) Thomaſius *Inſt. juriſpr. div.* L. II. c. 9. §. 14. ſq. Ayrer *de abuſu juramentorum* §. 33. ſq. Valet etiam heic, quæ nuperrime de proſcribenda perverſa juris canonici applicatione lata eſt ſententia ſapientiſſima in *Corpore Juris Fridericiano* L. I. *Von der Proceſs-ordnung.* Berlin 1781. præf. p. 16.

Digitized by Google

CAPUT II.

De relaxatione jurisjurandi.

§. CXXI.

De origine erroris de relaxatione jurisjurandi.

Relaxationem jurisjurandi genuino ſenſu talem nullam dari, eamque inter mera *Clericorum* figmenta & artes, quibus olim laicorum ſubjectionem promovere ſtuduerunt, pertinere, ſupra jam ex principiis rationalibus demonſtravi (§. 14). Ea quidem doctrina hodie ob non uſum, ab omnibus agnitum, tam arctis circumſcribitur limitibus, ut non opus eſſe videatur, de erroribus, refutatione vix dignis, orationem longam inſtituere. Verum in eo plerique Clericorum ingenio plus juſto tribuere mihi videntur, cum inventionem hanc aſtutam, augendæque ipſorum poteſtati olim tam proficuam, illis unice adſcribunt. Prima enim relaxationis idea ab ethnicis jam temporibus derivanda eſt. Nempe cum tam moſaicis, quam etiam romanis legibus ac moribus magna fuit Pontificum circa juramenta auctoritas, illique varia etiam ſacra piacularia, quibus nonnunquam perjuri maculam abluebant, adornarunt, vel alias jurisjurandi imprudentis gratiam dede-

runt (§. 18. 25.); tum & recepto chriſtianiſmo facilius fuit Clericis, Pontificatum antiquum & alia quavis occaſione prætexere ac imitari ſolitis, maximam circa juramenta auctoritatem ſibi vindicare, quamvis eadem ad diverſas plane interpretationes & applicationes, ſanæ rationi mire adverſantes, a quibus longe homines antiqui abſtinuere, abuti cœperint.

Nempe, ut vel tribus verbis inanem & periculoſam ſimul eorum doctrinam complectar, effinxerunt ante omnia, ut in præcedentibus jam docui, duplicem obligationem e jurejurando oriundam, unam humanam ſcilicet externam, alteram vero a Deo tanquam ex voto acquiſitam ſcilicet internam, ita tamen arcte conjunctas, ut neutra ſejungi potuerit. Igitur ob generalem, quem ipſis a Deo conceſſum atque demandatum prætexerunt vicariatum, nemini niſi ipſis competere potuit facultas, de vi & efficacia juramentorum cognoſcendi & decidendi, quoniam ſimul de jure Deo quæſito agebatur, cujus exigendi aut remittendi apud eos tanquam mandatarios divinos unicum eſſe poterat arbitrium. Igitur ex eo conceptu coortum eſt ſenſim commune illud principium: *omnem de juramentis cognitionem ad forum eccleſiaſticum perti-*

---

(1) C. 34. X. de Elect. c. 8. X. de arbitris. c. 13. X. de Jud. c. fin. de foro comp. in 6to.

(2) Dietr. Hermann. Kemmerich *de poteſtate relaxandi juramentum*. Lipſ. 1716. §. 4.

(3) C. 34. X. de Elect.

nere (1), quod multiplicem deinde ac vagam relaxandi poteſtatem progenuit, parvulam ab initio, & ab errore religioſo promanatam, ſed terribilem ſequenti ævo, & ad ſummam uſque libidinem uſurpatam. Errarunt autem, qui ad certos tantum caſus eam reſtrictam fuiſſe, ſibi perſuaſerunt. Erat enim pro lato illius vicariatus ambitu vaga, arbitraria, atque fere illimitata, adeo, ut ſuo jam tempore queſtus fuerit Baldus: *Canoniſtas omnia ad ſuum imperium & ad ſua molendina trahere velle.* Nam præter illud ſacrorum piacularium veſtigium, etiam inter clericos chriſtianos in eo conſpicuum, quod & ipſi, impoſita reis pœnitentia, perjurii gratiam impertiendi facultatem ſibi ſumſerint (2); de eo, num juramentum licitum, an illicitum ſit, cognoverunt, idque inefficax declararunt. Unde Innocentius III. alta voce inquit: *utrum juramentum ſit licitum an illicitum, & ideo ſervandum, an non ſervandum extiterit, nemo ſanæ mentis ignorat, ad noſtrum judicium pertinere* (3). Strictius ea relaxandi poteſtas innuebat abſolutionem a juramento, dolo & metu extorto, ſecundum canones ob obligationem, Deo quæſitam, valido, niſi remiſſio accederet (4). Verum ultra eos caſus generalem adhuc jurisjurandi etiam libere præſtiti vincu-

(4) C. 13. X. de Jud. c. 2. 6. 15. X. de jurejur. Jo. Chriſtoph. Schrœter *de relaxat. juramenti.* Jen. 1723. Frid. Ulrich Peſtel *de relaxatione juriſjur. dolo malo eliciti.* Rint. 1734.

lum remittendi poteſtatem ſibi ſumſerunt Pontifices. In omni enim jurejurando *auctoritatem ſuperioris ſemper exceptam* voluerunt (1), quod nempe eum habuit prætextum: *ſi gravius aut majus bonum faciendum occurrat*, Pontificem juramentum remittere poſſe (2). Iſque ipſe cognitionem, quam maxime periculoſam de tali obligationum prærogativa ſibi vindicavit. Ejus autem facultatis, ad evertendam omnem fidem comparatæ, tanta fuit temeritas, ut & ſubditos ab homagio, Imperantibus præſtito diſſolvere ſibi ſumſerint Pontifices (3). Talia molimina Gregorius VII. adverſus Imperatorem Henricum IV. ſuſcepit (4). Ita ſub Imperatore Friderico II. Pontifex Innocentius IV. ſubditorum nexum evertiſſet, niſi Imperator promulgatis edictis *de injuriis Pontificum romanorum in Imperatorem & Principes Imperii, injuſtaque eorum tyrannide & uſurpatione legitimi regiminis vindicem egiſſet* (5). Eadem contra Imp. Ludovicum Bavarum conatus eſt Johannes XXII. (6). Prætermitto ſimiles Pontificum

---

(1) C. 22. X. *de jurejur.*

(2) C. 3. X. *de jurejur.*

(3) Baronius Ann. eccleſ. ad a. 1076. n. 13.

(4) V. Bulla Gregorii VII. in *Bullario magno* T. I. pag. 52.

(5) V. Goldaſti *Conſt. Imp.* T. I. p. 306. & III. p. 382.

(6) V. Ludovici IV. appellatio ad futurum concilium generale adverſus Johannem XXII. apud Steph. Baluzium *in collect. actorum veterum ſub-*

conatus adverſus exteros Principes, quorum plena ſunt hiſtoriarum monumenta (7).

§. CXXII.

De origine & fine clauſulæ renunciativæ pactis juratis adjici ſolitæ de non requirenda diſpenſatione ac abſolutione.

Inde igitur explicari poſſunt clauſulæ, pactis publicis frequenter adjici ſolitæ, de non requirendis abſolutionibus aut diſpenſationibus a fidei publicæ obligatione (8), quibus nempe Pontificum moliminibus, ad evertendum ſtatum publicum tendentibus, a paciſcentibus obviam iri voluit. Ita jam a. 1338. in *unione Electorali* jurata ſeſe obligarunt paciſcentes: *non debemus, nec volumus nec poſſumus contra juvari ulla diſpenſatione, abſolutione, relaxatione* — (9). Ob eandem rationem *Paci Weſtphalicæ* addita eſt clauſula, *ne diſpenſationes & abſolutiones unquam allegarentur*,

---

juncta vitis Paparum Avenionenſ. n. 75. p. 478.

(7) Plura exhibet exempla Pfeffinger *ad Vitriar.* T. III. p. 133. ſq.

(8) Conf. ill. G. L. Bœhmer *de cautelis tuendæ fidei publicæ adverſus juris canonici principia circa abſolutiones & diſpenſationes a jurejurando. extat in Obſerv. jur. can.* Gœttingæ 1766. p. 42.

(9) Apud Joach. Mullerum *Reichſtagſtheatro* P. I. p. 283.

audirentur aut admitterentur (1). Quo modo etiam in aliis pactis ſæpiſſime partes ſibi invicem caverunt (2).

§. CXXIII.

De uſu Relaxationis hodierno.

Relaxationem jurisjurandi ob non ens peculiaris obligationis, e jurejurando oriundæ nullam dari, ſupra jam ex principiis rationalibus longe lateque demonſtravi (§. 14). Jusjurandum enim quodvis obligationem principalem, cui tanquam vinculum acceſſorium illud adjectum eſt, ſupponit. Si obligatio principalis per ſe juſta ac valida eſt, fruſtra de jurisjurandi relaxatione quæritur. Cum autem illa nullitate aliove vitio laborat, tum non niſi ſententia declaratoria judicis ordinarii opus eſt, qua ſubſecuta jurisjurandi vinculum cum obligatione principali ſimul ceſſat, quod in ſpecie quoque de negotiis dolo metuque extortis valet. Ergo indicata juris canonici principia, quibus clericis ac Pontifici Romano deſpoticum fere arbitrium in conſcientias tribuitur, minime applicari poſſunt, quoniam ſanæ rationi, fidei publicæ, genuino jurisjurandi uſui ac purioris religionis indoli in totum adverſantur.

Igitur

(1) *Inſtrum. Pacis Oſnabr.* a. 17. §. 3. *Monaſter.* a. 16.

(2) V. Bœhmer l. c. p. 58. ſq.

Igitur ſub relaxatione nil concipi poteſt, quam *declaratio, obligationem aliquam jurata promiſſione contractam, eſſe nullam ob ipſius obligationis vitia*, ut ſcilicet deinde obligationis effectus ceſſet; aut nonnunquam relaxatio, obligatione licet principali perfecta exiſtente, denotat ſententiam, qua juramentum adjectum ob hujus vitia pro nullo declaratur, cum eo ſolum effectu, ut, ſalva quidem obligatione principali, perjurii tamen pœna applicari non poſſit ob tranſgreſſionem. Utraque vero cum principiis juris canonici nihil plane commune habet (3). Igitur, cum ſemper ſtatus Imperii periculoſam illam fori eccleſiaſtici poteſtatem illiuſque abuſum graviter tulerunt, tum præcipue a ſeculo inde XVI. ſeſe ab illo jugo liberare cœperunt. Ita enim jam in Comitiis Norimbergenſibus a. 1522. conqueſti ſunt: *actum eſſe de civili cauſarum auditorio, quod omnes profanæ civileſque cauſæ contractuum atque tranſactionum* (adjecto jurejurando) *hac via neceſſario ad eccleſiaſticos pertraherentur — quod nedum contra æquitatem ipſam, contra omnia jura ſcripta ſed & civili magiſtratui intolerabile foret* (4). Verum enim vero, quamvis multo magis reformatis ſacris inter Proteſtantes priſtina illa Pontificis atque fori eccleſiaſtici antiqui circa juramenta auctoritas ceſſare debuit; erroneus tamen ille & peculiaris relaxationis conceptus ex eorum

(3) Kemmerich l. c. §. 22. ſq.
(4) Vid. Ayrer l. c. §. 33. not. o.

ingeniis ſtatim proſcribi haud potuit. Igitur nova exorta eſt controverſia, cui nunc, ceſſante Pontificis ac fori eccleſiaſtici antiqui relaxandi facultate, illud jus tribui debeat. *Alii*, cum ſecurius receptaculum neſcirent, ſimpliciter *Majeſtati* in Republica illud tanquam reſervatum vindicarunt (1), cujus opinionis, quamvis haud ignorem varias reddi rationes, genuinum fundamentum, nullibi probabilius, quam in nimio leges Romanas imitandi ſtudio olim latuiſſe mihi videtur, ubi nonnunquam & Imperatores romani jurisjurandi veniam dediſſe (2), ſupra docui (§. 67). Quoniam autem illi hanc Deſpotiſmi particulam, tanquam Pontifices maximi arripuerunt, fruſtra Noſtrates ad talem juris analogiam, quam maxime ineptam, provocarunt. *Alii*, cum Dominis territorialibus eam facultatem vindicare voluerunt, *poteſtatis eccleſiaſticæ* translationem in eos factam prætexerunt eodemque momento, quo priſtina relaxationis incommoda eliminare ſtuduerunt, re vera circulum in demonſtrando commiſerunt (3).

Rectius igitur & curatius *Alii Judici ordina-*

---

(1) Grotius *de Jure belli & pacis* L. II. c. 13. §. 20. Vitriarius *Inſt. jur. publ.* L. III. t. 2. §. 26.

(2) L. ult. pr. D. *ad municip.* L. fin. D. *de re mil.*

(3) Carpzovius *de lege regia* c. 9. S. 12. n. 3. 4. Hahn *ad Weſenbeccium tit. de jurejur.* n. 14. Unde eadem quoque doctrina olim in Conſtitutiones Electorales Saxonicas aliaſque promanavit. Kemme-

rio relaxandi poteſtatem vindicarunt, quoniam jusjurandum ceu acceſſorium ab obligatione principali ſeparari neutiquam poteſt. Sed incongruam plane eſſe relaxationis vocem, talemque juriſdictionis actum a nullitatis declaratione aut ſententia reſciſſoria, aliiſve legitimis obligationes diſſolvendi modis (4), haud differre, vix neceſſe eſt, ut heic repetatur. Hinc pro perſonarum cauſarumque diverſitate, talis poteſtas præter eos, quibus generatim juriſdictionis exercitium demandatum eſt, in ſpecie quoque competere poteſt juriſdictioni *reali* ab *univerſitatibus* e. g. *academiis* aut *civitatibus municipalibus* acquiſitæ, *patrimoniali* proprie tali civili & criminali, *feudali*, *militari* & *eccleſiaſticæ ſtricte tali*, ſed non intuitu vicariatus divini olim effecti, ſed potius in quantum illa, alius juriſdictionis ſubordinatæ inſtar in republica, legitime ab eccleſia acquiſita eſt, & inter Proteſtantes illius nomine a Conſiſtoriis exercetur, in cauſis ad eam pertinentibus. Ea quoque ratione nemini præjudicium infertur, neque illi, qui juriſdictionis exercitium legitime acquiſivit, neque corpori majeſtatico, & ſu-

---

rich l. c. §. 15.

(4) Huc e. g. etiam pertinet declaratio in bannum, v. Faberi *Staats-Canzley* T. VI. p. 622. T. XIII. p. 670. Deinde de privatorum quoque facultate, obligationes quamvis juramento firmatas alteri ſponte remittendi, vix quiſquam dubitabit, v. Kemmerich l. c. §. 16. Setſer *de juram.* L. I. c. 24. Gail L. I. obſ. 24.

perioritati territoriali, cujus inſpectioni ſupremæ juriſdictio in territorio ſubordinata eſt. Aliud ſane & peculiare majeſtatis jus eo ſpectans cogitari non poteſt. Sed hodie plane confecta videtur ea controverſia, poſtquam ipſis Imperii legibus præſertim Rec. Imp. nov. non niſi Juriſdictioni ordinariæ illud jus conceditur: *auch im übrigen dasjenige, was die Stände wegen der Nunciorum Abſolutionen a juramentis, und daſs dergleichen Relaxationes in den Gerichten, ſie geſchehen dann von dem ordentlichen Richter, ad effectum agendi nicht zu attendiren ſeyn ſollen, hiebey erinnert, beobachten* (1). (*Præterea obſervent ea, quæ monuerunt ordines de Nuntiis jurejurando ſolvendis, & de relaxationibus in judiciis, niſi fiant a judice competente, actionem non producentibus.*) Ideoque in eo, quod tales cognitiones de jurejurando a judiciis ordinariis ad alia fora trahi non debeant, non ſolum *Proteſtantes* (2), ſed &

(1) Rec. Imp. nov. §. 164.

(2) Conf. J. H. Bœhmerus *I. E. P.* P. II. t. 24. §. 52. ſq. Peſtel l. c. §. 6. Kemmerich l. c. §. 15. ſq.

(3) Recenſet eos ill. Moſerus *von der Landeshoheit im Geiſtlichen* p. 293. Conf. Ant. Schmidt *in Inſt. jur. eccleſ. Germ.* T. II. Heidelb. 1774. §. 205. pag. 321. Neque alienus videtur Paul. Joſ. a Riegger *Inſt. juriſpr. eccleſ.* P. II. § 774. p. 409.

(4) Conf. ill. Moſer *im Reichs-Hofraths-Proceſs* T. I. pag. 653. ſq. & *teutſches Staatſrecht* T. IV. p. 482.

(5) *Ord. Cam.* 1555. P. II. t. 21. *C. O. C.* P. II. t. 25. Thom. Mavlius *de relaxatione juramenti ad effectum agendi.* Francof. 1635. Ge. Ad. Struv. *de*

Catholici plurimi conveniunt (3). Atque ex eodem etiam fundamento illa relaxandi poteſtas competit *ſupremis Imperii judiciis*, ſcilicet tam *Judicio Imperiali Aulico* (4), quam etiam *Cameræ Imperiali* (5), in quantum reliqua competentiæ requiſita adſunt, quoniam in relaxatione, ut vocatur, ad effectum agendi in ſpecie requiritur, ut judex reus, qui juramentum exegit, ſit immediatus & proinde etiam Camerali judicio immediate ſubordinatus (6). Cæterum heic quoque ſub relaxatione nil aliud intelligitur, quam mera nullitatis declaratio vel propter obligationis principalis infirmitatem, vel ob ipſius jurisjurandi exacti vitia, ſecundum regulas ſupra traditas (7). Id fieri poteſt non ſolum in cauſis exactæ *urphedæ*, quarum in legibus ſpecialis mentio fit, ſed & ex analogia in aliis cauſis criminalibus & civilibus e. g. pactis vel tranſactionibus juratis (8). Decernuntur

---

relaxatione ad effectum agendi. Ien. 1692. Neurodes *in der pragm. Erläuterung des jüngern Reichſabſchieds.* Anm. 338. pag. 697. Tafinger *Inſt. jurispr. cam.* §. 590. ſq.

(6) Tafinger §. 592.

(7) Kemmerich §. 22. ſq.

(8) Neque enim mirum eſt, cauſas criminales quoque ad eum cenſum pertinere: quoniam & heic de querela nullitatis ſermo eſt, qualem & apud Cameram Imperialem in cauſis criminalibus inſtitui poſſe notum. Conf. Jo Phil. Carrach *de querela nullitatis ac denegatæ juſtitiæ ad ſuprema imperii romano germanici tribunalia in cauſis ab horum juriſdictione exemtis imprimis criminalibus proferen-*

quoque ad petitam relaxationem aut ſtatim citationes, mandata &c. aut pro re nata primum litteræ pro informatione (1). Denique lata ſententia de jurejurando illegitimo, reliquam etiam cauſam principalem, ſi quicquam decidendum ſupereſt, aut in eodem judicio, quatenus cauſæ qualitas id permittit, prævia tamen nova citatione, ventilari poſſe, aut, cum cauſæ qualitas obſtat, ad ordinarium judicem remitti debere, facile exiſtimandum eſt (2).

---

da. Duisb. 1768. Alia cauſarum, ubi præter urphedas relaxatio decreta eſt, præjudicia v. apud ill Moſerum l. c. p. 690. Tafingerum l. c §. 593. in notis. Gabler *de elogiis juratis.* Arg. 1669. §. 39. Ludolf *coll. nov. ſent. cam.* n. 213.

(1) Conf. *C. O. C.* P. II. t. 25. ubi expreſſe præſcribitur, decernendas eſſe litteras pro informatione, ſi mediatus agat contra magiſtratum immediatum, petatque a Camera relaxationem urphedæ præſtitæ.

(2) Tafinger l. c. §. 595. Remiſſio fit ſub iiſdem fere regulis, ſecundum quas etiam alias in cauſis regulariter ad judicia Imp. non ſpectantibus caſſato proceſſu vel correcto ad ordinarium judicem cauſa principalis remittitur.

FINIS.

CONSPECTUS
TOMI II.

LIBER III.

Cap. V. DE origine ac uſu hodierno jurisjurandi ſuppletorii. pag. 3

§. LXIX. *Opinio præcipuorum ICtorum de origine hujus jurisjurandi.* ibid.

§. LXX. *Quæ opinio refellitur, & jusjurandum ſuppletorium a judice delatum jam Hadriani ævo aut ante in uſu fuiſſe docetur novis quibuſdam argumentis.* 8

§. LXXI. *Uſus jurisjurandi ſuppletorii auctus ſub Imperatoribus Chriſtianis & præcipue Juſtiniano.* 17

§. LXXII. *De uſu hodierno jurisjurandi ſuppletorii.* 19

§. LXXIII. *De variis probationum generibus jurijurando ſuppletorio viam parantibus, ſpeciatim I. de præſumtionibus & jurejurando in litem.* 22

§. LXXIV. II. *Ob teſtium inſufficientiam* & III. *inſtrumentorum defectus, ubi ſimul agitur de libris mercatorum.* 34

§. LXXV. *Reliqua de uſu jurisjurandi ſuppletorii monita.* 37

Cap. VI. De origine & uſu jurisjurandi teſtium. pag. 39

§. LXXVI. *De origine hujus jurisjurandi variæ opiniones.* ibid.

§. LXXVII. *Conſtantinum M. jusjurandum teſtimoniale in cauſis civilibus introduxiſſe novis quibuſdam argumentis demonſtratur.* 40

§. LXXVIII. *De uſu hodierno jurisjurandi teſtium.* 45

Cap. VII. De jurejurando promiſſorio, Romanorum ſententia ejuſque uſus. 50

§. LXXIX. *Uſus jurisjurandi promiſſorii in cauſis privatis rariſſimus apud Romanos, illique nulla plane novæ obligationis qualitas inerat.* ibid.

§. LXXX. *Probatur ea doctrina evidentibus juris romani principiis & quidem I. ex inefficacia pacti nudi licet jurejurando confirmati.* 54

§. LXXXI. II. *Ex invaliditate conditionis jurisjurandi, ultimæ voluntati adjectæ.* 57

§. LXXXII. *Eandem ſententiam Imperatoribus chriſtianis fuiſſe, variis argumentis demonſtratur.* 63

§. LXXXIII. *Unicam jurisjurandi promiſſorii ſpeciem in cauſis privatis involvunt cautiones juratoriæ.* 68

§. LXXXIV. *Uſus hujus doctrinæ hodiernus.* 69

Cap. VIII. De fatis doctrinæ ſub Imperatoribus romanis chriſtianis. pag. 73

§. LXXXV. *Obſervationes generales de effectu religionis chriſtianæ in juriſprudentiam romanam.* ibid.

§. LXXXVI. *Inter effectus ſalutares referri poſſunt I. Prohibitio jurisjurandi per creaturas, ac certior illius formula, quamvis nondum pura. II. Variæ emendationes in honorem jurisjurandi factæ. III. Perjuriorum coercitiones.* 75

§. LXXXVII. *Progenuit tamen etiam perverſa religionis chriſtianæ interpretatio & applicatio effectus quoſdam, rationi haud quaquam convenientes, quo pertinet* I. *Virtus quædam phyſica, e jurejurando tactis S. S. Evangeliis & Reliquiis præſtito derivata.* 77

§. LXXXVIII. II. *Intolerabilis juramentorum ſuperfluorum multiplicatio.* 80

Cap. IX. De origine & uſu jurisjurandi calumniæ. 82

§. LXXXIX. *Origo jurisjurandi calumniæ.* ibid.

§. XC. *De uſu hodierno jurisjurandi calumniæ.* 88

Cap. X. De forma jurisjurandi inter Romanos poſt receptam religionem chriſtianam, ejuſque uſu hodierno. 93

§. XCI. *De jurejurando etiam per Sanctos & tactis S. S. Evangeliis præſtito.* ibid.

§. XCII. *Eadem jurandi conſuetudo etiam ad Germanos translata. Frequentius tamen per reliquias Sanctorum aut ad eorum tumulos jurarunt.* pag. 95

§. XCIII. *De hodierna juramenti forma & ritibus.* 102

§. XCIV. *De jurejurando per procuratorem ejuſque uſu hodierno.* 104

§. XCV. *De admonitione pro vitando perjurio.* 111

Cap. XI. De pœna perjurii ex ſententia Romanorum ejuſque uſu hodierno. 112

§. XCVI. *Romani veteres perjurii pœnam a judice infligendam ignorarunt.* ibid.

§. XCVII. *De pœna perjurii poſt introductam religionem chriſtianam.* 115

§. XCVIII. *De hodierna jurisjurandi pœna.* 119

LIBER IV.

DE JUREJURANDO EX GERMANORUM DOCTRINA EJUSQUE USU HODIERNO. 127

Cap. I. De effectu religionis veterum Germanorum in doctrinam de jurejurando. ibid.

§. XCIX. *Introitus.* ibid.

§. C. *Purior videtur Germanorum veterum religio.* 128

§. CI. *Religio tamen miraculis plena quoſ-*

vis fere eventus ab immediato & quotidiano Deorum influxu exſpectabat. pag. 130

Cap. II. De origine & uſu hodierno jurisjurandi in cauſis publicis. 136

§. CII. *Uſus hujus religionis Germanorum antiquæ in cauſis & negotiis publicis, ubi major miraculorum fides præſentiæ quarundam rerum ſanctarum tributa jurisjurandi uſum quodammodo rariorem effecit.* ibid.

§. CIII. *De juramentis publicis poſt receptam religionem chriſtianam eorumque uſu hodierno.* 140

Cap. III. De effectu religionis Germanorum antiquæ in cauſis privatis maxime controverſis. 148

§. CIV. *Generalia de modo religioſo cauſas controverſas decidendi veterum Germanorum, maxime 1°. per ſortes 2°. per duella 3°. per alia experimenta phyſica 4°. uſus jurisjurandi proprie talis rarior.* ibid.

§. CV. *Uſum hujus religionis in cauſis controverſis promoverunt* I. *libertatis naturalis conſervandæ ſtudium ac judiciorum inopia.* 152

§. CVI. II. *Maxima Pontificum in cauſis quoque civilibus Auctoritas.* 153

§. CVII. *Mutato reip. ſtatu ac inventis magiſtratibus priſtinum tamen proceſſum religioſum in ipſa judicia tranſpoſuerunt.* 156

Cap. IV. De origine & uſu jurisjurandi purgatorii. 159

§. CVIII. *De origine & conceptu purgationis canonicæ.* pag. 159
§. CIX. *De uſu antiquo purgationis canonicæ & genuina conſacramentalium indole.* 164
§. CX. *Uſum jurisjurandi purgatorii quidem uſque ad noſtra tempora ſeſe propagaſſe, ſed rationi haud convenire, ideoque totum proſcribendum eſſe docetur.* 170
§. CXI. *De jurejurando minorationis.* 176
§. CXII. *De jurejurando dandorum & reſpondendorum cum poſitionibus, quod reprobandum eſſe docetur.* 178

Cap. V. Supplementa quædam ad doctrinam de jurejurando ex Germanorum legibus. 182

§. CXIII. *De Mennoniſtarum aſſeverationibus ſecundum Concluſum Viſit. Cam. noviſſ.* ibid.
§. CXIV. *Jusjurandum teſtium Germanis veteribus incognitum & e peregrino demum jure in eorum leges migravit.* 184
§. CXV. *Jusjurandum promiſſorium ob almam Germanorum fidem olim inter eos incognitum.* 185

LIBER V.

DE EXIGUO JURIS CANONICI USU IN DOCTRINA DE JUREJURANDO. 187

Cap. I. De jurejurando promiſſorio perverſæ canonum traditiones. ibid.

§. CXVI. *Præjudicium vulgare de prærogativa juris canonici in doctrina de jurejurando impugnatur.* pag. 187
§. CXVII. *Principia juris canonici de jurejurando promiſſorio.* 191
§. CXVIII. *Recenſentur quædam negotia legibus invalida, quæ adjecto jurejurando confirmari poſſe putabantur.* 195
§. CXIX. *Exempla quædam actuum per ſe validorum, olim tamen ex errore pro invalidis habitorum, quos jurejurando demum inutili adjecto confirmari voluerunt.* 200
§. CXX. *Concluditur, nullam e jurejurando promiſſorio derivari poſſe obligationem novam, atque jus romanum canonico præferendum eſſe.* 201

Cap. II. De relaxatione jurisjurandi. 203

§. CXXI. *De origine erroris de relaxatione jurisjurandi.* ibid.
§. CXXII. *De origine & fine clauſulæ renunciativæ, pactis juratis adjici ſolitæ de non requirenda diſpenſatione ac abſolutione.* 207
§. CXXIII. *De uſu relaxationis hodierno.* 208

APPROBATIO.

Legit & approbavit Ebroduni die 25 Oct.
E. BERTRAND, *Cenſor.*

ANT 1318069

Digitized by Google

Google

Digitized by Google

B